13
B 2
C 12703
Hall, Jos

13
B 2
C 12703
Hall, Jos

POLEMICES

Sacræ Pars Prior

Roma Irreconciliabilis:

Quâ docetur

Nullam sperari posse, nec *debere quidem (vtì se nunc res* habent) Pontificiorum cum Euangelicis, in causa Religionis, Conciliationem: eudendamque in solos Pontificios hanc tabam.

Auth. Josepho Hallo Britanno, S. Th. Doct.
& HENRICO PRINCIPI *a Sacris.*

LONDINI
Excudebat A. H. *impensis*
Sa. Macham. 1611.

2. Reg. 9. 22.

Quæ pax? cum adhuc fornicationes Iezabel matris tuæ, & veneficia eius multa vigent?

SANÆ
SANCTÆQVE
DEI ECCLESIAE
vbicunque terrarum
commilitanti.
(*.*)

ADFERO tibi (pia mater) hoc qualecunque pignus amoris ſimul & fidei; non tam ſuaue illud qui-

dem, quàm fidele turbarum tuarum præconium: Quantò lubentiùs (modò ita ſponſo tuo viſum) pacis tuæ ſecuritatiſque nuncium allaturus? Verùm cùm (vti video) palmam tibi non oliuam reponendam cenſuerit magnus rerum arbiter, victoriam te hercle meditari oportebit, non quietem: Triumphabis olim in cœlis, & æternum requieſces: Nihil iſtic interea præter inſidias, certamina,

tumultuſque hoſticos expectabis: Quantâ vero animi alacritate aduerſa quæque & perferes, & ſuperabis, quæ glorioſiſſimum coniugem, non belli modò ducem, ſed & æquiſſimum Regentem, nihilo quidem incertiùs, quàm tuam ipſius militiam prænoueris: Succumbere non magis profecto poteris, quàm deſidere; En tibi in commilitium iſtud adſcitas auxiliares cœli terræque acies, quæ tibi omnes fœli-

ciſſimum ſacri belli exitum pollicentur: Memineris vero inprimis interrogare (quod ſoles) Abelæos: Allachrymare, obſecra, & Deum atque homines conteſtans, hoſtem germanam miſerè deperditam, per ſuam ipſius animam, per chariſſima Chriſti viſcera, per pretioſiſſimos illos ſanguinei ſudoris grumulos, per commune denique æternæ redemptionis precium, vel de geniculis obteſtare, vt

2. Sa. 20. 18.

ad

ad ſe redire velit aliquando, frugemque bonam; vt deſinat (quod vſque, vereor vt ſciens, facit) διομαχεῖν. *Quòd ſi illa rebellem dehinc in te, in Deum obdurârit ſibi animum, aurem obturârit; obliuiſcere (ſi potes) quæ illa olim fuerit, inuola nunc in turpem Belialis filiam* ἐπὶ τοῖς ὅπλοις ἀλλήλοιν. *Vade, percute, demolire, vince, regna, conſors ſolij coniugalis: Ecce me tubam interea rudiorem, cu-*

ius & clangore ad prælium hoc ſanctum animoſiùs exuſciteris, & lætâ demum gratulatione; poſt opima quondam ſpolia, victoriali illo die redux excipiaris.

I. H.

Periochæ Sectionum.

SECT. I.

Status nunc Romanæ Eccleſiæ.

II.

Pacis commoda, ac condiciones.

III.

Auerſa Pontificiorum voluntas.

IV.

Quàm non ſufficit eiuſdem Symboli Confeſsio.

V.

Impuratio Romanæ Eccleſiæ, & ex pertinaci illa fabula infallibilitatis, orta impoſsibilitas reconciliationis.

VI.

VI.

Quàm non admittant reconciliationem reliquæ Romanæ Ecclesiæ opiniones.

VII.

Hæresis Romana de Iustificatione.

VIII.

De Libero Arbitrio.

IX.

De Merito.

X.

De Satisfactionibus.

XI.

De Purgatorio.

XII.

De Indulgentijs.

XIII.

De Distinctione Peccati Mortalis & Venialis.

XIV.

XIV.

De Canone Scripturæ.

XV.

De Scripturarum insufficientiâ.

XVI.

De Authoritate Scripturæ.

XVII.

De Transſubſtantiatione.

XVIII.

De Multi-præſentia Corporis Chriſti.

XIX.

De Sacrificio Miſſæ.

XX.

De numero Mediatorum, & Sanctorum Inuocatione.

XXI.

De cultu ſuperſtitioſo, ethnico, ridiculo Pontificiorum.

XXII.

De Mediorum reconciliationis impoſsibilitate.

ROMA IRRECONCILIABILIS.

SECTIO I.

Status Romanæ Eccleſiæ.

NVlla æque hominum ingenia torquet hodie, ac quæ de Eccleſia quæſtio eſt: Infantiam quidem Eccleſiæ ſublimior hære-

C. Caſſ. lib. de Conſult. Art. 7. Ex articulo hoc de Eccleſia, om-

nubes diſtra ctio, qua hodie eſt in Republica Chriſtiana, ori genem ducit.

ſis de Deo, de Chriſto malè, diuque ſolicitam habuit ; ἀκμὴν verò & ſenectam paulò leuior quædam de nobiſmetipſis exercet velitatio: quæ tamen tantò maiores vbique tumultus ciet indies, quantò quiſque ſe impenſiùs quam Deum diligit : Reliqua quotquot vſpiam terrarum occurrunt aliàs ζητήματα, ἴασιν δὲ οὐδεμίαν : De noſtra, deque Romana Eccleſia ita plærique mihi perperam ſentire videntur, quaſi duæ ſemper ab origine ſui fuiſſent, tempore ac loco, non ſecus ac Babylon & Hieroſolyma, duæ vè illæ celebratiſſimæ Auguſtino ciuitates, palàm diſter-

Aug. de Ci. l. 11 11. 1. 18. 1.

minatæ.

minatæ. Hinc illæ ſciolorum hominum otioſæ percontatiunculæ, vbi tandem latitauerit Eccleſia noſtra? quo conſule ac die nata? quo demum ſeculo illa altera deſierit? cur nos nihilo vlteriùs ab iſtorum oris ſubducti? quid de proauis noſtris factum? quæ fuerit priſci æui religio? Hinc rigidiuſculæ illæ vtrinque, cùm nouitatis, tùm deploratæ abſcedentium animarum ſalutis, cenſuræ. Deus bone! quæ & opinionum monſtra, & quæſtionum iſtinc enata! & non tam ſuos authores (verè enim oraculum illud Delphicum, εἰ κε πάθοι τα κ' ἔρεξε, δίκη τ' ἰθεῖα γένοιτο) quam

Iulian. Cæſares. Iudicium, ſi quis quæ fecit, perferat, æquum eſt.

Eccleſiam Chriſti miſerè diuexarunt: Quot miſelli naufragium iſtic fecerunt, quibus hercle votiua tabella parum vſus fuiſſet, ſi tantum didiciſſent inter nos & Pontificios diſcriminis conſtituere, quantum inter Eccleſiam peſſimis modis corruptam & luculentè perpurgatam; inter morbidam ac moribundam, & ſanam, vegetam, viuidamq; neceſſariò concedendum eſt: Ann. Do. 1160. Non ergo Petrus ille Valdus Lugdunenſis, non Io. Wicleſus, non Huſſius, non Lutherus, nouam ſibi vnquam procudere Eccleſiam voluerunt, ſed priorem illam, & morum

& ἑτεροδιδασκαλίων ſordibus miſerè fœdatam verrere, mundare, expolire, ac ſplendori priſtino reſtituere (haud infœlici opera) ſtuduerunt: Medicos haberi ſe maluerunt iſti qui ſanarent, quàm parentes qui Eccleſiam progignerent: Idemque nos ex eo ſedulò fecimus, & de nobis hodie ſeriò & ingenuè prædicamus: Pariter ſe nobis habet Roma, (vti olim Hieronymo) ac Eugubium, Rhegium, Alexandria, niſi quòd vrbs illa paulò & celebrior, & vicinior: loca non variant fidem, non titulum: quamcunque Eccleſiam Deus filiam, nos ſororem ſalutabi-

Hier. Epiſt. Euagrio.

mus : & tutò quidem iſtud ; quot pias pudicaſque fœminas nouimus, quas nralè-moratæ ſororis diſpuduit, quęque germanum proſtibulum haud parum oderint ? Illud idem nobis iſtic vſu venit; Roma hæretica eſt, idololatrica eſt; meretricium apud ſe ſuum exerceat ; nobis cum illa tali cohabitare (ſalua pudicitia) non licuit ; huius nos extruſit nequitia, pepulere vires : Cedimus loco , & mœſti interim conquerimur , Quomodo effecta eſt meretrix vrbs fidelis, & pleniſſima iure in qua iuſtitia pernoctabat, ea nunc homicidarum plena eſt ; Argen-

Eſa.1.21.22.

tum tuum abijt in ſcorias, merum tuum aqua inſpurcatum eſt. Apage matris imperium! vna omnes eademque Eccleſia ſumus (externæ vocationis merito) quotquot vbiuis terrarum Ieſum Chriſtum, Dei filium, vnicum mundi Seruatorem colimus, idemque communis fidei ſymbolum profitemur; puriùs hoc alij facimus, alij verò corruptiùs; Chriſtiani ſumus interea omnes, ſani non ſumus. At quàm temerè (inquis) iſta; quæque conciliatore ipſa nimis indigeant; vna vt ſit Eccleſia, quæ tamen Conciliari neſcit? Certè; Exterioris formæ dignitas *Iren. li. 1. c. 2. 3.*

(quę vnitatem hanc in ſe complectitur) nihil quicquam confert ad gratiam, nihil ad ſalutem, nihil ad ſanitatem doctrinæ. Non efficit ſagena vt piſciculus illico ſit, quicquid ipſa corraſerit; vilem hîc algam comperies, & quicquid eructauerit vorax illud elementum: Et vna ergo eſt quoad communia fidei principia; & quoad conſequutiones, adiectitiorumq; dogmatum farraginem ita ſibi oppoſita, vt nullo concordiæ glutine, aut vnitatis vinculo copulari poſſit. Quæ nobiſcum illa tenet, Eccleſiam faciunt, quæ nobis obtrudit, hæreticam: Princi-

Cypr. l. 3. ep. 13.

piorum veritas vnam facit, adiectionum error & impietas, inſociabilem. Neque tam nobiſcum pugnat poſthuma hęc & ſpuria traditionum ſoboles, quàm cum illis ipſis quæ ſtabilire maximè diſcupiunt authores, religionis ſuæ principijs: A facie ergo, Romana Eccleſia & noſtra eſt, & Dei eſt; à tergo aliena eſt, Antichriſtiana eſt: Planiùs; μὴ γὰρ διαλεκτέον τοῖς μετάφοραις, verè Clemens: Fundamentum & tenet Roma, & tollit; Directè tenet, tollit ex conſequente; quà tenet, vera Eccleſia eſt, quantum-libet impurata; quà tollit, ἐκκλησία πονηρευομένων eſt, quicquid ſimulet Pſal. 26. 5.

pietatis ac ſanctimoniæ : ſi prorſus & omnimodè teneret, ſana foret & Orthodoxa ; ſi æquè itidem deſtrueret, aut nulla foret, aut diabolica ; iam verò cùm ea directè tenere profitetur, quæ clancularia conſequutionum vi ſubinde deſtruat, verè viſibilis Eccleſia, ſed malè-ſana eſt : quâ tenet, amplexamur ; quà deſtruit, & errantem miſericordia proſequimur, & odio pertinacem.

Non illud à nobis poſtulat commune Chriſtiani nominis vinculum, vt erroribus craſſiſſimis vel ſilentio faueamus : non illa ſororia ſeruitus eſt, vt

germanæ operam præſtemus, malis artibus; Μὴ συγκοινωνεῖτε (inquit Paulus) μᾶλλον ἐλέγχετε: Fecimus nos quidem modeſtè & ſeriò: Idem nobis accidit, quod Apoſtolo; ἐχθροὶ γεγόναμεν ἀληθεύοντες: Ecce nos nunc exturbamur toras, conſpuimur, obruimur plane contumelijs, quæſitiſſimis denique pœnis afficimur. Et ne quid fortè mali deeſſet, acceſſit demum errori pertinacia, natuſque ex impatientia furor; tantóque magis arridere cœpit vitium, quantò nobis diſplicere ſolet: Nos verò quid nunc agimus, excluſiſſimi, deſpicatiſſimíque melioris pudicitiæ

Epheſ. 5. 11.

Gal. 4. 16.

patroni ? Lite quidem tam nimis iuſta cedere non licet, niſi Deum ipſum (cuius vnius cauſam dicimus) floccifacere mauelimus : animo autem ſuccumbere, ceſſimque ire æquè tutum eſſet, atque animas noſtras veritatis diuinæ proditrices, ire perditum : Vnum illud reſtat (& vna hîc ſalus) praua Romanæ Eccleſiæ paradoxa, moréſq; idololatricos ſtrenuè (σὺν θεῷ, σὺν ἀσπίδι) vſque oppugnare, dum aut illam pudeat, aut ſe denique pœniteat fuiſſe.

Sect. II.
Commoda ac condiciones Pacis.

SPecioſum quidem eſt pacis nomen (vt rectè Hilarius) veréque ſacrum, & quod vix terram ſapiat; nec alio nomine Hebræi τὸ εὐζῆν, ipſamque adeo perfectionem innuebant: Nec quid aliud humano generi lubentiùs vel gratulati ſunt Angeli, vel legauit Chriſtus, vel Apoſtoli præceperunt. Quoties quamque impensè rogat iubetque ſpiritus εἰρηνεύειν? Illud verò cuiuis in procliui eſt, pacem habere; ſed quid ſi non fiat copia? Tum πιστὸν εἰρήνην monet Iacobus, ope-

Hilar. de Conc. cit.
Caluin. de vera pacificatione.
Iud 6 23.
2.Sam.18.29.
Iud.19,20.
1.Chr.12.18.
Luc 2.14.
Ioan.14.27.
2.Cor 13.11.
Iac.3.18.

rã noſtrã, noſtrã tolerantiã. Atquid ſi conceſſa ſemel aufugerit? Tum, ſectari quæ pacis iubet Paulus: Quid ſi adhuc ſubduxerit ſe vltro? Inquirere & ſequi iubet Petrus: Quod ſi ipſa venire noluerit, vt de Rebecca ſeruus Abrahæ? Etiam tum διωκειν δει χαλεπον. Ita profectò nos amet pacis author, ita amplexetur, vt nos pacem; Dies tranquillos noctesque curæ ac moleſtiarum expertes, ecquis eſt qui cum Conſtantino non expetierit? Digna & Imperatore vox illa, & Chriſtiano, quæ Iouiano quondam excidiſſe dicitur, de querulo Macedonianorum li-

Rom. 14. 19.

1. Pet. 3. 11.

1. Theſſ. 4. 11.

Socra. l. 1 c. 4.

Socrat. l. 3. c. 21

bello

bello : Ego contentionem odi, eos qui concordiæ dediti ſunt, complector amore, veneror que : Quod idem cùm aduerſarij noſtri non minore charitatis zelo profiteri ſimulant ; Pereat quiſquis pacem oderit, à facie Dei & Angelorum malè pereat : Imò, iam nunc (vt fruſtra ſint hæ diræ) quiſquis eſt, oppidò perijt ; Ad pacis enim præmium venire non poſſunt, qui pacem Domini diſcordiæ furore ruperunt, grauiter (quod ſolet) Cyprianus ; Et certè φιλεγκλήμονες illi ſpiritus quid aliud quàm gehennam ambiunt ? Optimè Baſilius, Ignis Dei lucem de-

Cypr. de ſimplicitate prælatorum.
Hiero. Euagrio.
Baſil. in Pſ. 28.

dit

dit ſine incendio, infernus contrà ſine luce incendium; dignus mehercle illis, qui ſpretâ veritati luce, flammis contentionum refocillari geſtiunt. Oderunt verò pacem planiſſimè, qui erroribus fidei Chriſtianæ infeſtiſſimis, præfracto animo patrocinantur: Quamdiu habitandum nobis erit propter tentoria hæc Kedarena, queremur meritò quod olim Pſaltes, Ego pacem diligo, ipſi interim ad bellum conclamant: Neque nos ingenui pacis cultores (quando ita nobis incumbit pugnæ neceſſitas) nihil agimus: Enimuero ſanctus ille chorus An-

Pſal. 120.

gelorum, paci in terris iure
prædicebat, Gloriam Deo; Luc. 2. 14.
et beatus Iacobus, ſapientiam Iac. 3. 17.
quæ ſuperne eſt, primò puram
effingit, dein pacificam: Ad-
ſtipulatur vas electum, dum
communi pacis ineundę præ-
cepto (τὸ Νίκαιον) illico ſubnectit. Rom. 12. 18.
Æquè impoſſibile eſt bono
cuique quod fieri non debet,
ac quod non poteſt: neque
omnino poſſumus quidem,
quicquid honeſtè non poſſu-
mus, vt probè Iuriſconſulti: ff. de condi. inſtit. l. filius.
Non confuſionis author eſt
Deus (inquit Paulus) ſed Pacis;
Confuſionem quæ parit con-
ſenſio, pax impia, pax nulla
eſt: Apage à nobis pacem,

quæ bellum indicit Deo ; vtinam huiusmodi non esset, quam Roma vel præstare nobis possit, vel ausit profectò polliceri : Agedum ergo; Paulinum illud (εἰδύνατον) sedulo discutiamus ; doceamusque pacem coli cum Pontificijs, piam quidem illam & salutarem, non posse; siue auersam partis vtriusque voluntatem, seu litis vtrinque agitatæ naturam, seu denique mediorum quæ ad hanc conciliationem adhiberi debent, impossibilitatem spectemus ; Tres isti fines mihi erunt ; quibus opella hæc qualiscunq; non inutilis certè, nec intempestiua terminabitur.

SECT. III.

Auersa Pontificiorum voluntas.

ET de primo quidem non magnopere censeo laborandum; Potest sanè Deus efficere, vt commoretur lupus cum agno, & pardus cum hædo recubet; Quàm facilè ipsi est adamantina hominum pectora conspersa inimaculati illius agni sanguine sic emollire, vt in merum amorem liquefiant; sed vt nunc sunt tempora, non minori hercle miraculo foret, charitatem in nos Pontificiam experiri, quàm leones Danieli amicè Es. 11. 6.

ad blandientes intueri: Etiam vbi de rebus medijs lis est, conciliandorum animos quadam tenùs conspirare oportet; neque sat est alteram partem vnà cum armis, odium deposuisse: Istoc verò quî tandem ferent Romani? Eteoclem profectò odium, aut Vatinianum, merus amor est præ hoc Pontificio: Ecce nos vbi non, quando non conspuimur, vt hæreticissimi Ecclesiæ hostes? Iudæos in sinum suum admittit Roma, quorum etiam è manibus Pontifex legem accipere non dedignatur, Euangelicos non fert; Quod à Theodosio Synadorum Epis-

Sacror. serem. l. 1.

copo

topo iniquè ſuſceptum vel erga Macedonianos, queritur Socrates, id ab illis hodie in nos vulgo factum; neque aut Arriani, aut Circumcelliones magis vnquam fæmierunt; atque idem iſti fabulones à nobis erga ſe indies factitatum, improbè commini ſcuntur. Ecqua omnium hęreſis eſt quam rabioſula illa lupa (eiuſque aſſeclæ verè φιλολοίδορει) nobis impingere non ſolent? Nunc Simoniani ſumus qui gratiæ ſemel meminerimus, & ſalutis; nam quid nobis illum Magum (ſi Deo placet) tactio eſt? Nunc Eunomiani, qui nimium fidei tribuerimus (quantum ſcilicet

Socrat. l. 7. c. 3.

Socrat. l. 2. c. 22. & 30. Aug. ep. Poſſid. in vita Aug.

Bellar. de notis Eccl. l. 4. c. 9. Notâ ſextâ; ſic accuſ. Luther Cal. Brentium.

Bell. ibid. Reipſa Caluiniſtis in Anglia mulier quædam eſt Summus Sacerdos.

Ibid.

Ann. 1532. teſte Surio apud Bell. l. 1. de Chriſto.

Ibid. hær. 16. Zuingl. & Bucer.

Ibid. Hær. 9. Cal. l. 4 Inſtit. c. 1. § 7.

Aug. Con. art. 7.

Ibid. hær 8. Luth. art. 36. Cal. Inſt. 2. c. 2.

hæreſiarcha Paulus) nunc Pepuziani, qui mulieribus; nunc Origeniſtæ; qui imaginem Dei in homine deleri; nunc Procliani, qui concupiſcentiæ peccatum non ſatis deleri docuerimus; Nunc Sabelliani, qui Serueti æuo vixerimus, nunc Eutychiam qui & temporibus Swinckfeldij; quid enim nobis vltra cum illis hæreticis commercij? Nunc Pelagiani, qui peccati ὀψωνια mortem ſtatuerimus; nunc Donatiſtæ, qui ſolos iuſtos admiſerimus in Eccleſiam electorum; nunc Manichæi, qui liberum arbitrium ſuſtulerimus, nunc Arriani qui traditiones, nunc

Nouatiani qui pœnitentiam, nunc Æriani qui oblationes pro mortuis & ieiunia; Iouinianistæ qui fidem lubricam & euanidam, Vigilantiani qui reliquiarum adorationem, Nestoriani qui asseruationem panis Eucharistici, Xenaitæ qui imagines, Lampetiani qui votorum seruitutem: Parum hercle refert Timotheum ne Presbyterum, an Athanasium incuset fœdum os meretriculæ; Certum est illud Nazianzeni, οὐδεὶς ὑφέξει τῆς γλωσσῆς αὐτονομίαν; Etenim bonos carpere malorum solatium est, (verè Hieronymus.) Quod ergo Lindijs olim solenne erat sacra non

Ibid. hær. 10. Hær. 6 cit. Calu. l. Instit. 4. c. 19. Hær. 11. Calu. Instit. 3 c. 5. Centur. 4. 5. Hær. 12. Cal. l. Inst. 4. 12. Ibid. Hær. 13. Luth Serm. de sancta cruce, & de abrog. missa. Hær. 16. Bucer. Melanct. in locis. Hær. 18. Calu. 1. Instit. 11. Hær. 19 Luth. de votis monast. Ruffin l. 1. c. 17. Epist. Bas. 35.

Hier. ad Theop. aduers. er. Io. Hierosol.

peragere Herculi abſq; conuitijs, illud idem patientiæ noſtræ præconibus Pontificijs, nimio quàm familiare eſt; Quotidiana fornax noſtra (vt ingeniosè Auguſtinus) aduerſariorum lingua: Quæ hîc conuitiorum plauſtra à ſcurris Romę triuialibus paſſim congeſta exonerare licerat? quæ ſanguinis effuſi flumina, quæ ſanctorum buſta, viui-comburio crudeliter damnatorum commemorare? Nouit hæc orbis, & ſenſit iam nimis: Sed & qui tantarum litium ſequeſtros agere maluerunt, benigni homines, Caſſander, Fricius, Interimiſtæ, & Apologus

Chryſoſt.

Aug. Confeſſ. l. 10. c. 37.

Andr. Fricius Modrouius lib. de emendanda repub.

ille Gallorum ἀνωνυμος, quàm malè vtrinque audierunt? Quibuscum non aliter mihi videtur agi, quàm fatuo quopiam Pastore, qui se arietibus summo impetu concursantibus, medium interposuerit: Neque fœliciùs vnquam obueniat blandioribus illis, (quicunque demùm fuerint) Philistæorum, qui arcam Domini in Dagonis ædem inferre molientur: Neq; enim istic (quod alibi sæpe solet) damnis desudascitur: Bene cessit Abrahæ Loti dissidium; integra hinc illi obtigit lactea ac mellea Palestinæ regio, quam alioqui fortè dimidiatam possedisset:

Examen pacifiq; de la doctrina des Hugu.

Dita-

Ditabunt nos (Dei virtute) literæ istæ magno fœnore, veritatis ac gloriæ.

Sect. IV.

Quàm non sufficit eiusdem Symboli Confessio.

Lib. de offic. boni viri.

AT omnium, illud, non vnius Cassiandri in ore est. Communis fidei tessera symbolum est; idemque nos vno ore omnes, lubentissimè profitemur. Certè, Theodoretus cùm Antiochenorum acerrimè contendentium inimicitias, stylo minuere vellet: Erat (inquit) vtriusque partis, vna

Theod. hist. l. 3. c. 4.

eademq;

eademq; fidei confessio, quòd ambæ Nicenam Synodum propugnarent: Quod tamen etiam adhuc, à Bellarmini lacertis & languet, & calet: Quanti enim est (inquit) idem Symbolum? Non in verbis, sed in sensu fides est; Et sanè memini quod olim ab Arrio factum, narrat Ruffinus: Iusserat illum scilicet Constantinus manu sua scribere, quid de fide sentiret: Is fidem verbis nostram; sensu suam exarasse dicitur: Et quam bene patrissârint eius nepotes, proximis Ecclesiæ seculis, loquantur historiæ. Quisquis certè Ἐξεκοντων & Homoiusiastων sym-

De Laicis l. 3. c. 19.

Ruff. hist. l. 1. c. 11.

bola

bola pellegerit, vix quid inde eruet, quod Orthodoxi censores meritò reprehendendum censeant. Quoties illi Christum Deum appellant; etiam de Deo? creatum tamen interea ex non entibus, sibi perfidiosè seruant? Vt ergo Seuerianus ille Syrus apud Theodoretum, Græcè quidem locutus est vt Græcus, sed vt Syrus pronunciauit, ita plęriq; Orthodoxa loquuntur, pronuntiant interim hæreticè. Omnes enim hæreses (inquit Irenæus) Deum vnum dicunt, sed per sententiam malam immutant: Docuit ergo nos non male Gratianus, verba nemini

Iren. l. 1. c. 9. Petr. Chrysol. serm. CIX. omnes hæres. & Trinitatem mentiuntur vocabulis, &c. Dec. 22. q. 5. humana.

curæ

curæ esse debere, cùm non intentio verbis, sed verba intentioni debeant inseruire. Esto autem; Dicat illud quispiam de Symbolo, quod de Iobi libro Hieronymus, singula verba plena esse sensibus. Nulla profectò vox diuina (vt prudenter Tertullianus) ita dissoluta est, & diffusa, vt verba tantum defendantur, & ratio verborum non constituatur. Sensus ille quisquis est symboli genuinus, elici potest, addo etiam (si vnum illum de Christi ad inferos descensu, quem in Symbolis Romanis, sed & Orientalibus frustra se quæsisse fatetur Ruffinus, ex-

Hier. in præfat.

Tert. de Præscript.

Ruffin. in Symbol.

ceperis)

caperis) vtriſque in confeſſo eſt. Neque tamen vlla beare nos poteſt concordiæ ſpes: Ab iſtis enim communibus fidei principijs, hæreticæ prauitatis acumine, conſecutiones quædam male-ſanæ vulgò deriuari ſolent, quæ pertinaci tandem litigio in hæreſes excreuere; ipſiſq; demum principijs & lucem intentabunt, & pene mortem: Huiuſcemodi ſunt plæraque Romanorum dogmatum, quæ nos libellulo hoc paſſim agitamus. Sed vt vnanimi omnium conſenſu, verbis, ſenſuui, principijs, concluſionibuſque neceſſarijs ſua vtrinque ſanitas conſtet, nulla

tamen

tamen (Bellarminus inquit) pax Lutheranis. Intelligat hoc nunc orbis vniuersus, & obstupescat; Rex noster (vt æmulari quibus non licet, inuideant; Deus bone, quantus & inter Principes Theologus, & Princeps Theologorum, Rex hominum, Regum stupor; quàm & sceptro potens & calamo!) hæreseos sibi maculam (vah quam spurcâ manu adspersam) detersuros; profitetur serio, sanctéque, quicquid vel pagina sacra, vel Symbolatria, vel Concilia quatuor in se complexa fuerint, illud se totum vlnis ambabus amplexari illud profiteri, illud ore, cala-

De Laicis 3. 19. sect. 4.

In præfatione ad Imp. & Principes.

mo, gladio tueri ſe, illud denique vel extremo migrantis animæ ſpiritu, defenturum. Atqui verò iſtoc non ſufficit, regerit magnus ille Antagoniſta Regum: ſunt & alia fidei dogmata, quibus iam ſerò auxit religio, Tranſubſtantiatio, Purgatorium, primatus Pontificius, (nempe duodecim harum baccharum articulos, creauit in hoc mundi ſenio Tridentum, ne impares viderentur Apoſtolis, Patres Itali, Chriſto Pontifex:) quorum quiſquis vel minimam particulam in diſcrimen vocitauerit, illico hæreticus eſt, olet faculam: Illud vero quàm vſq;

Bellar. reſp. ad Regem. Non ſatis eſt ad hæreticum nomen fugiendum illa recipere quæ Rex Anglorum recipere atque admittere ſe dicit. p. 80.

Bulla Pij 4. ſuper. for. Jur.

Bell. reſp. ad Reg. p. 98. Etiamſi nomina & ſuperſtitia illa ſint, ſi quis tamen ea negat, immunem ab hæreſi non fore.

ad nauteam. Ecclesiæ membrum esse non posse qui capiti Ecclesiæ Pontifici, obsequium detrectauerit. Nec quid olim mitius à Nicolao secundo, Gratianus; Qui Romanæ Ecclesiæ priuilegium auferre conatur (vel authoritati eius derogat) hæreticus est. Quin adhuc atrocius est quod tabula nobis Martiniana insusurrat; Qui præcepto Papæ non obedit, peccatum Idololatriæ incursit, vel (vt Gregorius ille septimus, à quo mutuari ista voluit Gratianus, quæ tamen nusquam in eius epistolis occurrunt) paganitatis.

Lib. 3. de Laicis, c. 19. Et resp. ad Reg.

Dist. 22. Omnes. Margarita Decret.

In verbo Inobedientia.

Dist. 81. Si qui.

Quicquid ergo Christus,

quicquid Apostoli, Concilia, sanctique nascentis Ecclesiæ patres nobis credendum proposuerint, parùm protectò inuerit, neque nos vnâ conuenas facere potuerit, nisi hodierno etiam Pontificulo fidem nostram mancupio dederimus. Istâc vero lege vt nos pacem mauelimus? Quidnis illicet sperare ausit, qui hoc animumet; Neq; illi nos fastidiosiùs ex Ecclesiæ suæ gremio ejecerint, qui stramineos hosce articulos vsq; conspuimus; quàm nos illos, Ecclesiæ Dei hæc talia tanto molimine plusquàm tyrannicè obtrudentes, fidenter damnamus, & execramur.

Sect. V.

Impuratio Romanæ Ecclesiæ, & ex pertinaci illâ fabulâ infallibilitatis, orta impossibilitas reconciliationis.

SEd vt Pontificij velint maximè (quod nullus equidem sperarim, ex quo in suum immigrauit ingenium Roma) ambiantque concordiam, Deus ipse renuit, refragatur veritas; dummodo illis non placet, nobis non licet, vel latum vnguem à statu discedere. Licet non audemus nos (quicquid boni mediatores suaserint) vel diuidere Christum,

vel oſculo prodere: In ſublimi veritas eſt, aſcendere illis fas eſt (quod olim Leo & Gelaſius) nobis deſcendere nec tutum, nec vero honeſtum: Quàm illud inprimis nimium conſtat, Eccleſiam Romanam, à primigenia Religionis puritate longiùs deflexiſſe. Nihilo certius eſt Romam vrbem è ſuis collibus ad vallem Martianam deſcendiſſe, aut Ethnicos olim (referente Euſebio) Veneris templo ſacrum Chriſti tumulum polluiſſe: Quanta hîc nubes teſtium, etiam ſuorum? Vel à fœminis ordiamur; Hildegardis monacha non obſcuri nominis Prophetiſſa,

Epiſt. ad Euphem. Bell. cit. l. 3. de Laicis.

Euſ. hiſt. l. 3. c. 25.

Ann. 1170.

extinctæ

extinctæ religionis accusat ordinem Apostolicum; coœtanea huic Matilda, communis à fide Christiana Apostasias; pientissimamque Ecclesiæ, nostro æuo, instaurationem, vtraque venturi præscia, clarissimè prænuntiauit; Sancta Brigida fundatrix Ordinis S. Saluatoris ab Vrbano Papa, Canone donata, Papam cruciare, imo crucifigere Electorum animas, palàm docet, omnesq; sequaces eius, fautores, ac clericos abscissum iri; sedemque in profundum inferni demersam prædicit; tam acriter verò istud; vt rogum illi iam tum superstiti, & minitati fuerint,

Ex loc. comm. Henr. Tokon. Illir.

Prophet. rythmic.

Vita S. Brig. præfixa Reuel.

Ann. 1370.

Reuel. l. 1. c. 41.

Reuel. extrauag. c. 8.

& extruxerint Romulei nepotes. Robertus ille nostras Lincolniensis Episcopus (cui capitis moles nomen tribuit, quemque perplexè, Rupertum appellauit Illiricus) quantus vir! seculi sui pastores, desolatores terræ, gregis dominici dispersores, dilaceratoresque; vineæ depastores, & demolitores, coram ipso Pontifice palàm arguere ausus est; Carthusianus ille Coloniensis, qui Fasciculum congessisse temporum dicitur, Diminutas queritur veritates à filijs hominum. Petrus de Aliaco Cardinalis, veteres Theologos Ecclesiam ædificasse, præsen-

Grosse-teste in manuscript.

Ann. 1250. Io. Trevisa mona transtulit Anglicè. Habetur initio Polychr. Ranulphi. Hussius citauit, & ex illo Illir.

De statu Eccl. an. 900.

Artic. in Conc. Constant. edit. 1535.

tes

tos ſeductores eam diuaſtare confitetur: Concinunt hiſce Ioannes de Rupe-ſciſſa Monachus, Ioannes Picus Mirandulanus Comes, Tritemius Abbas, Laurentius Valla; Lumina Concilij Baſilienſis Cardinalis Arelatenſis & Thomas de Corſellis: Lapides loquitur Nicolaus ille Clemangius, Archidiaconus Baiocenſis, qui iuſto volumine corruptum Eccleſiæ ſtatum liberè depinxit; neque multò hercle parciùs, Dominicus Epiſcopus Brixienſis, qui etiam tum libello ſuo titulum auſus præfigere Romæ reformationem: Taceo Ioachimum, Petrum

An. 1350. lib. Valla inscum. In ep. 1500. lib. aduerſ. comm. donat. Conſtant.

Aeneas Sylu. de geſtis Concil.

Ann. 1426.

Ad Pium 2. lib. Refor. Cur. Rom.

Ann. 1400.

Auentin. An. 1.7. Osiand. confut. Thes. Costeri.

Io. Mirand. Marsil. Ficil. & Comincus hunc Prophetam nuncup.

Estenc. in Tit. Osiand. Papa non Papa.

Ferrariensem Iurisconsultum, Theodoricos tres, Lyranum, Petrarcham, Gersonem, Euerhardum Episcopum Salisburgensem, Erasmum, Cassandrum, Espencæum, Cardinales à Paulo tertio delectos, inter quos Gaspar Contarenus, Iacobus Sadoletus, Polus nostras emicuerunt, Aluarum Pelagium, Saluanarolam Florentinum, & quem non doctorum, simul & bonorum? Sed & ipse Adrianus sextus Papa, dum Legatos suos instruit, Ecclesiam criminatur, omnia in pessum demutata ingenuè quiritatus. Quid vero? Eccui in mentem venire

potest tot Diuos Diuasq; (date veniam Elegantiæ Lipsianæ à Bellarmino malè mulctatæ) Prophetas ac Prophetidas, Pontifices, Cardinales, Monachos, Doctores, ista in piæ matris contumeliam (quod de Luciferianis olim Hieronymus) temerè confinxisse? Dignus ille profecto est, cui sacer hic dolus vsque obsit: Fuit quidem olim Roma, πόλις ἁγία, at iam in aliam partem palmam possidens עיר תרמים Ezechielis: Ἀσταφυλὶς σταφὶς ἐστι: neque tam nimio iure istud de sua Alexandria prædicarit bonus eremita Antonius, quàm nos de Roma hodierna, Væ

Hier. aduers. Luciferianos. Ecclesia facta lupanar.

Matt. 4 5.

Ezec 22 2.

Theocrit. eidyss. κη.

Hier de vita Pauli.

tibi ciuitas meretrix, in quam totius orbis dæmonia confluxêre. Quid ergo? Latere quidem nuperos Pontificiorum, deformitas tanta non potuit; quin & nos digito modestè comitérque labes hasce monstrauimus: Ipsi interim quantum indignati è quodque de Apollinari hæretico Ruffinus. Dum contentionis vitio nimis aguntur, & aduersus omne quod quisque dixerit, ire obuij delectantur, iactatione ingenij malè fortis, hæresin ex contentione generarunt. Pulchrè Hieronymus. Solent oculis clausis degere, qui non credunt factum esse quod

Ruff. hist. l. 1. c. 20.

Aduers. Lucif.

nolunt.

nolunt. Illud igitur planè miſerrimum eſt, vt quæ à ſuis, fœdi ac multiingis erroris accuſatur Eccleſia, viam ſibi præcluſerit ad veritatis metam redeundi ; & quod ingenuè queritur Franciſcus a Victoria, nec mala ſua, nec remedia ferre poſſit. Dum enim errare ſe non poſſe contendit, & quandam iudicij impeccantiam, (detur Tertulliani verbo venia) Cathedræ ſuæ pertinaciùs vendicat, quæ nunc ſpes reſtat recuperandæ veritatis ? Næ nos modò audaculi ſumus, qui quid contra muſſitare auſi ? Prima ſanitatis ſpes à morbi ſenſu & agnitione petatur ne-

Fr. Vict. Relect. 4. prop. 23.

ceſſe

cesse est. Celebre est illud Epicuri Initium salutis notitia peccati: Deprehendas te oportet (inquit Seneca) antequam emendes. Ægrotare se non posse Roma gloriatur; quid nos istic medicinam frustra meditamur? Principia hęc doctrinalia (quæ vocat Stapletonus noster) illa sunt, à quibus fatalis quædam errandi necessitas necessario consequetur: Quid enim agimus? si ab Oraculi Pontificij sententia (huius enim non tam scrinio, quàm ergastulo, quod olim fastidiose de Ioanne Hierosolymitano Hieronymus includitur Ecclesia) ita pendent omnia,

Senec. Epiſt. 28.

Ibid.

Epiſt. ad Pammachium de error. Io. Hieroſ. An tu ſolus Eccleſia?

vt quicquid ipse dictauerit, ἀναντρωνήτως recipi debeat, nec vlla vnquam ratione δὲν ἀναθῆς fieri possit; frustra mehercle litigamus; frustra conuenere tot Synodi (vt verè Erasmus) frustra definiêre; frustra nos vel docemus quid, vel discimus: Fieri ne potest vt facti ducatur pœnitentiâ vnquam, qui peccare se non posse solertèr defendit? Aut ergo euelli sibi sinant Pontificij radicitus hanc futilem certè δόξαν opinionem, aut nulla sperari potest ineundæ pacis consultatio: Hanccine vero sibi Helenam (quam nimium vsque delicatam habuerunt) facilè

abreptam patientur Transalpini? Quin Petri non solium modò, sed & census vnà omnes exposcimus, & integram cum vectigali religionem? Ecquis enim Romanæ (quæ nunc est) fidei apiculus non istinc pendet? scilicet hoc dato ceciderit profectò Babylon, ceciderit, & in cineres turpiter abierit, negato autem, vsque meretrix erit illa magna, vsque grauis paci, vsque insensa cœlo: Atqui tam longè absunt ab hac ingenua infallibilitatis explosione, doctores hodierni, vt nulla vnquam tempora æq; nôrint Pontificibus supparasitari: neque enim modo hoc

ili sine Concilio indulserunt Albertus Pighius, Gretserus, Bellarminus, & quotquot sunt ispiam Iesuitæ; sed & Greg. Valentianus sine cura & studio: Euge Cathedram Petri stabilem, æternam, plenam prodigiosæ virtutis, quam si mihi fas ligneam fingere, abietario non malo, è quercu Hibernica proculdubio dolatam autumem; ita nulla illam tangit erroris aranea, quin occidit illicò: Ecce tabulæ, diuina manu exaratæ statim confractæ perierunt, asserculi verò tui ætatem non sentiunt, nec quo hæreseos, vitio maculantur scilicet: Vibius profectò Ru-

Lib. 4. Hier. Eccl. c. 8. Si magnus procedat. Bell. l. 4. de Rom. Pont. c. 1. G. Val. Analys. fidei, l. 8. de vi & vsu auctor. Rom. Pont. in fid. Quæst. sent. Respondeo, sive Pontifex in definiendo studium adhibeat, sive non adhibeat, modò tamen controuersiam definiat, infallibiliter autem definiat, atque adeo re ipsa utetur autoritate sibi à Christo concessa. Add. statim, Eadem fide credere debemus illum quando rem controuersam definit, sufficientem adhibuisse diligentiam.

Xiphilin. Epit. Dionis. Tiberio. [illegible]

Quint. Pass. de vitiis hominum. Pontif. Clem. 6. Pal. 2. Ben. 9. Greg. 6. Silvest. 3.

Mart. 3.

Sylv. 2.

Io. 22. & 23.

tus mihi nunc rediuiuus est qui in sella semper sedebat in qua Iulius Cæsar, vxoremque duxit Ciceronis, de vtroque gloriari solitus, quasi aut propter sellam Cæsar, aut propter vxorem Orator futurus, Omnis nempe hinc à Petro virtus: Bene est reliquos proauorum nihil quicquam contulisse, ne forte Alexander sextus, successores suos in Cynedos, Clemens in sacrilegos, Iulius in sicarios; Benedictus, Gregorius, Syluester in symoniacos; Pascalis, in periuros; Ioanna Moguntina in fœminas, Martinus & Syluester alter in magos; Ioannes vterque in dia-

bolos incarnatos tranſmutaſſet. Ex altera autem parte, quenquamne hominum ſubire poteſt ſpes, eò vnquam inſaniæ peruenire poſſe Eccleſiam noſtram, vt ſublicium hoc demùm ſubſternat Pontifici Tyberino? Quaſi nos latere poſſit quàm. nuſquam hoc illis Chriſtus vel præſtiterit, vel promiſerit: Vbi enim hoc ſcriptum, vt meritò iocatur Lutherus? An fortè Romæ apud ſanctum Petrum in camino quopiam? Dixit quidem Tu es Petrus. At, Tu es Paulus quintus nullus vnquam dixerit: Dixit, Rogaui pro te ne deficeret tibi fides; dixit, &

Luth. aduerſ. falſo nom. Epiſc.

Vade poſt me Satana, non ſapis quæ Dei ſunt; Doceat nos nunc oraculum illud cathedralitium, quî tandem hæres exaſſe promiſſi, cenſuram abdicauerit: Etiam, vt temporis veſtigia premamus, quàm non norit hoc ætas ſuccedanea; non Polycrates & Irenæus qui Victori, non Cyprianus qui Stephano, non Chalcedonenſes qui Leoni, non Orientales Epiſcopi qui Iulio, non Conſtantinopolitani Patres qui Vigilio & Honorio cedere noluerunt: ſed & è nuperis, qui vel naſum habuere, vel frontem, Ioannes ille Cancellarius Pariſienſis, Turrecrema-

Bellar. pierosq; horum recenſet l. 4. de Pontif. c. 2.

ta, Almainius, Alphonſus de Caſtro, Adrianus ſextus Papa, Archiepiſcopus Catharinus, Cardinalis Caietanus, Franciſcus a Victoria, alijque paſſim complures non infimæ claſſis Theologi palam iſtud negare non dubitarunt. Inſtar omnium rationem huius rei reddiderit Alphonſus; Multi Papæ adeo inquit illiterati, vt Grammaticam penitus ignorent, qui fit vt ſacras literas interpretari poſſint? Quaſi nos fugiat, quinam Pontificum Arrio, qui Montano, qui Neſtorio, qui Acacio, qui Monothelitis, qui Saducæis, qui Dęmonibus fauere non dedignati

Alij a Cano loc. c. l. 6. cap. 8. Alph. l. 1. c. 2. contr. hæreſ. Alm. lib. de poteſt. Eccleſ. Adr. 6. in quo. de confirmatione. Catthar. de contit. grat. aſſ. 13. Relect. 4. de poteſt. Papæ.

Alph. de Caſt. l. 1. contr. hæreſ. c. 4.

fuerint, quæ ſibi contraria edixerint, quæ Deo; quamquè pertoratam nauim (Hieronymi verbis) debilis ſæpe rexerit gubernator: Quaſi è tam longa Pontificum ſerie, quæ portenta hominum, qui Apotactici, Apoſtaticique olim fuerint, (Platinæ verbis, ac Genebrardi, ſed & Lyrani libentèr vtor) lippis iamdiu & tonſoribus non ſatis innotuerit: Scilicet horum vita fabula mundi, vt Bernardus: Pax ergo hîc nulla, niſi aut illi εἰκαῖοι, aut nos Romæ mancipia fieri mauelimus. Cedo mihi tamen candorem hunc Pontificium; Fateantur ingenui, vt qui ſe

Plat. in vit. Bened. 4. & Chriſtof. 2. Genebr. l. 4. Sect. 10. Lyr. in Mat. 16

Decret. 93. Diſt. Nulla.

olim

olim in Paradiſum inſinuauerit ſerpens, poſſit aliquando in Cathedram Petri callidè ſurrepere; non minor certè de facto, quàm de Potentiâ lis erit: Sed & huius furfuris alia ſunt, quæ πραγματείαι quandam ſapiunt, Papiſtarum dogmata, non Eccleſiæ magis quàm Rebus-publicis perniciosa, de gladij vtriuſque iure, de abdicatione Principum, Regnorum diſpoſitione, exautoratione ſubditorum, fruſtratione Iuramentorum, abundè ſatis à Venetis, à noſtris iam pridem ventilata, quæ Chriſtianæ adminiſtrationis libertati, ita palàm aduerſantur, vt qui huic

15. q. 6. *Alius.* *Man. Nauar.* c. 27.

iugo ſe vltro ſummiſerint Principes, Populiue, digni profectò ſint qui ſeruiant: Iſtuc vt trahi poſſe ſperent terræ dominos? (omnes mehercle liberi lubentius ſumus quam ſeruimus; nedum Reges) aut ex aduerſo, hoc qualecunque iuris remiſſuros Eccleſiæ tyrannos? Nugæ! Nam & illi icti ſapiunt; & hi iamdiu, quod de Georgio Satrapa Ariano Ruffinus, procaciter vi raptum Epiſcopatum gerunt, vt qui magis ſibi iuris dicendi creditos faſces, quàm ſacerdotium miniſtrandum religioſis officijs æſtiment.

Ruff. l. 1. c. 23.

SECT. VI.

Quàm non admittant reconciliationem reliquæ Romanæ Eccleſiæ opiniones.

LArgiamur tamen hæc nobis, quod ipſi profecto nunquam ſunt conceſſuri; Ad imperium enim ſe natam putat illa vetula vrbium mater, & aut ruet, aut dominabitur. Neque mitratus ille moderator orbis, aliud ſibi mauult Emblema, quàm quod Iulio Cæſari iocosè appingit Iulianus (τὸ κρατεῖν) vel quod Alexandro (τὸ πάντα νικᾶν): Apage autem Adrianum Sextum; cuius *Iulian. Cæſar.*

tumulo inſcriptum in Baſilica Sancti Petri, Nihil ſibi in vita infœliciùs accidiſſe, quàm quod imperarit: Non deſunt (ſat ſcio) mitioris ingenij homines (ἀμφιδέξιοι Theodoſiani) qui exiſtiment, modò iſta partis vtriuſque moderatiore ſtudio placidè componerentur, ſubinde tutum fore cuique, de reliquis fidei capitibus (modò id ſine ſtrepitu fiat) quidlibet opinari: Manes puto hæretici illius Appellis, cuius illa vox circumfertur, Sat eſt credere in crucifixum: neque oportere omnino fidei diſcuti rationem: Aut quales Leonas ille quondam Conſtantij aulicus, & in

Binius in vita Adrian.

Socr. l. 5. c. 20. & c. 14.

Euſeb. l. 5. c. 13. ex Rodone.

Concilio Seleucienſi Vicarius, qui Patribus de ὁμοουσιῳ (vehementer vti par erat) contendentibus, Abite (inquit) & in Eccleſia nugas agite : Non ſic olim Baſilius, qui (referente Theodoreto) Valentis Imperatoris Præfecto, vnius literulæ veniam ſuadenti, reſpondit, Qui diuinis innutriti ſunt eloquijs, corrumpere de diuinis dogmatibus ne vnam quidem ſyllabam patiuntur, ſed pro his ſi contingat, omnes etiam mortis ſpecies amplectuntur: Non ſic Eleuſius, & Syluanus Epiſcopi orthodoxi, non reliqui illi bone Deus ! quam fidi cuſtodes, &(qui Athanaſio titulus)

Socr. l. 2. c. 32.

Theodor. l. 2. c. 27.

Theod. l. 3. c. 9.

tulus) πενταθλοι ἀληθειας: Quousq; sacra permiserit veritas, comitabimur profecto alacres; si quid vltrà, consistimus, recedimus; & quæ duo hæreseos remedia suasit olim Epiphanius τὸ προσέχειν, καὶ μὴ συναμιλλᾶσθαι, ea nos vtraque sedulo adhibemus. Inexpiabilis quidem & grauis culpa discordiæ (vt grauissimè Cyprianus) nec passione purgatur. Et nos Aten illam Homericam vno inferno dignam arbitramur: Neque tamen iustum est veritatis precium, concordia; quam redimere quidem nobis fas est, vendere piaculo: Age ergo, discutiamus singula, & quod

Epiph. l. 1. initio.

Cypr. de simplic. prælat.

fieri

fieri ſolet, vbi impar eſt ſupellectili domus, cœaceruemus, & quaſi arctè compingamus vniuerſa; Nempe ſat nobis erit in tanta rerum meſſe (quod neceſſe eſt) ἀκριβολογίαν; & ad compendium verba conferre. Grauiſſimæ Pontificiorum hæreſes, & qualia Origeni olim obiecit Hieronymus, venenata dogmata, quæ moleſtiam & periculum hodiè creant Eccleſiæ Dei, vel nos ipſos (non tamen abſque ratione Dei) vel Deum (non ſine ratione noſtri) ſpectare mihi videri ſolent: Primæ claſſis illa ſunt, quæ circa Iuſtificationem Liberum arbitrium, operum no-

ſtrorum meritum, ſatisfactionem humanam; Indulgentias, Purgatorium, Peccati differentias ordine quodam ſuo verſantur. Hæc mihi primulùm diſcutienda occurrunt.

Sect. VII.

Hæreſis Romana de Iuſtificatione.

AVguſtum quidem eſt (ſi quod aliud) Iuſtificationis caput, vt coactus fuerit olim Caluinus operosè inculcare, vno hoc ſaluo, precium operæ fore de reliquis pertinacius litigare. Vtinam obtineret illud Caſſandri; cuius hæc ſunt: Quod dicitur homines non poſſe iuſtificari coram Deo, proprijs viribus, meritis aut operibus, ſed gratis iuſtificari per fidem, ſemper in Eccleſia probatum, & retentum fuit, & hodie quoq; ab omnibus

De vera pacific. contr. Interim.

Conſultat. De Iuſtificat.

bus Eccleſiaſticis ſcriptoribus approbatur.

In Galat. & in Iac. 2.

Vtinam illud Thomæ, qui Iuſtificationem tribuit operibus, non ſecundum quòd Iuſtificatio dicitur Iuſtitiæ infuſio, ſed ſecundum quod dicitur Iuſtitiæ Exercitatio, vel oſtenſio, vel conſummatio; pax quidem nobis iſtic alta foret, vereque ſolida: At dum Tridentini patres inhærentem nobis iuſtitiam, formalem Iuſtificationis cauſam comminiſcuntur, fidemque exturbant, ecquis bonus non arma ſtatim meditetur, mortemq; oppetat potiùs, quàm vt auitam fidem inani ſomnio corrumpi patia-

Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 7. Si quis dixerit ſolâ fide, &c. Can. 9.

ur? Eant illi ſcilicet, & quod de ſe Ætius (referente Theodoreto) iactitare ſolitus eſt; ſibi à Deo nunc reuelari quæ hactenus vniuerſis occulta eſſe ille voluiſſet; idem iſti de ſe demùm glorientur: Indignabimur nos interim orbem ſic ludos fieri, qui toties ingemiſcantem audimus ſpiritum; ἔργων; Ἐξ ἔργων οὐ δικαιωθήσεται. Ex operibus nulla caro iuſtificabitur. Iuſtificati gratis eius gratiâ: Quorum authoritate victus Arias Montanus, ingenuus author, & (quod de Apollinario Hieronymus) probati laboris, licet dogmatis, in pleriſque (vt tunc ferebant tem-

Rom.4.6. Gal.2.16. Eph.2.8. Rom.3.20. Rom.3.24.

Epiſt. ad Pammach. & Ocean.

pora)

pora) fatui : Conſequitur (inquit) fidem reputari ad iuſtitiam, ei qui non operatur in lege, idque ſecundum propoſitum gratiæ Dei. Veteres reſpicimus? Noſtri ſunt ad vnum omnes τὸ καθ' ὁμοίωμα τοῦ ἔργου Baſilius. Nazianzenus τὸ πίστευσαι μόνον: ſola ſufficit fides, Hieronymus : Homines credendo iuſtificati, Auguſtinus ; concinuntque iſtis reliqui; Epiphanius, Chryſoſtomus, Athanaſius Ambroſius, Primaſius, Choruſq; ille ſacer vniuerſus : ſed quid ego iſta ; cum Index expurgatorius Hiſpanus, clariſſima quçdam de ſolâ fidei iuſtificatione teſtimonia, ex

In Rom. 4. 5.

In Pſ. 114. citat. etiam White. cont. Dur. περὶ αὐτοῦ. Lib. 1. aduerſ. Pelag. & in 3. ad Gal. De Patient. c. 20. & in Pſ. 31. In Anachor. in Re. 17. hom. & in 1. Cor. he. 11. Orat. 1. contr. Arrian. De offic. l. 2. c. 2. De Iacob. & vit. beat. 2.

Indicibus & textu Chryſoſtomi, Hieronymi, Cyrilli, obeliſco ſuo deditâ opera confixerit; fruſtrà recitârim; præ manibus liber eſt: Ecce Inquiſitores conſcios ſibi, & erroris & fraudis: Quibus occinam ego meritò, quod Arrianis quondam Ambroſius; Literas quidem abolere potuiſtis, ſed fidem non potuiſtis auferre: Plus vos illa litura prodebat, plus vos illa litura damnabat.

In Rom. 8. Chryſ. hom. de verbis Pauli, Non ſolum ſed gloriamur in affl. Tom. 3. p. 945.
In epiſt. ad Tit. c. 2.
Hier. in ep. ad Rom. c. 10. Fides ſola iuſtificat; delectatur: ad Gal. 2.
Cyr. in Eſ. l. 4. Orat. 5.
Habitat Ieſus per fidem in cordibus noſtris.

Sed conciliari hæc forſan quidam autumant, meram verborum litem; Etenim quæ Pontificijs inhęrens iuſtitia eſt, ipſa ſanctificatio eſt Euangeli-

Ambr. de Spir. Sa. l. 3. c. 11.

cis ; hanc æque omnes neceſſariam ſtatuunt, æque inculcant omnes. Fatemur ; ſed numquid omnes eodem modo, aut ad eundem finem omnes ? Non opinor. Imo, quid iſtis magis ex aduerſo ? Hanc vt cauſam iuſtificationis ſtatuunt Pontificij, Euangelici vt effectum ; vt comitem aſſeclamue Euangelici, Pontificij vt anteambulonem, imo potius vt Parentem : At quid intereſt (inquiunt) dum vtrique totum hoc Deo tribuant ; Quaſi non eodem plane recidat ſoluere pro me precium, & dare mihi in manus quo ſoluam : Neſcio equidem

Euam. pacif. de Iuſtific.

quomodo hæc ita parum diſſona horum auribus videantur, quæ ſpiritus Dei prorſus ἀσύμφωνα definiuit. Ei qui operatur, merces non imputatur ex gratia, ſed ex debito : Si per gratiam, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non eſſet gratia ; neque enim gratia eſt vllo modo, ſi non eſt gratuita omni modo, vt Auguſtinus. At iſti ; Ideo ex gratia, quia ex operibus : Non ex operibus ne quis glorietur (inquit Spiritus) at ex operibus, & tamen in Domino quis gloriabitur, inquit Bellarminus. Quorſum vero gloriabitur ? quia iuſtus eſt, quia expers peccati. Præ-

Rom. 4. 4.

Aug. de correp. & gra.

Eph. 2. 8.

dicauerit hoc de ſe forſan Iſiodorus aliquis qui per annos quadraginta peccatum vel in animo ſenſiſſe,& vel cupiditati vel iræ conſenſiſſe vltrò deierauit. Prædicauerit hoc de Gonzaga aliquo Baronius aut Bellarminus; aut de Bonauentura ſuo, fex ſcholæ; in quo ne Adamum quidem peccaſſe ferunt; aut de ſuis Electis Manichæus, vel de ſe denique Priſcillianus, Euagrius, Iouinianus, Meſſaliani; Paulò aliter Ambroſius; Non gloriabor quia iuſtus ſum, ſed quia redemptus ſum: Gloriabor,non quia vacuus peccati, ſed quia remiſſa mihi ſunt peccata. Ob-

Socr. l. 4. c. 18.

In vita eius.

In Bonauent. non peccauit Adam. vita S. Bona.

Hier. aduerſ. Pelag. ad Ctesiphontem.

Theodor. l. 4. c. 10.

Hier. in dial. aduerſ. Pelag. in proœmio.

tinebit alioqui quod in Pelagianis damnauit Innocentius, Quid mihi nunc opus est Deo? Ais, Dedit mihi Deus quo iustus sim: & hoc quidem pulchrum videtur gratiæ diuinæ elogium, primulumq; inscitis auribus allubescit; quod tamen sub specie pietatis, Christum spoliat. Quin ais, Dedit quo me redimam: Eodem enim quo iustificamur, redimimur; (Iustificati eius sanguine) ecce iustificat nos qui & redemit sanguis θεανθρώπου. Perge vero: Dedit hoc Deus; Nunquid sine te? Istanè vt sine interuentu, sine operatione Liberi Arbitrij

Innoc. patr. Milenis.

Rom. 5. 9.

Abiurat. Artic. 45.

Iren. de Ptolomæo l. 1. c. 9.

Aug. Tr. 3. in Ioan.

Optat. Milev. l. 2. Ipse solus perfectus est; cæteri omnes semi-perfecti sumus.

Hier. aduers. Pelag. l. 3.

transigantur; dicant mihi seriò Burdegalenses monachi, dicat Andradius, dicat ipsemet (flosculus Scholæ Pontificiæ) Bellarminus, dicat qui volet, Pontificius: Solius ergo Christi est, quod imputatur, quod inhæret, nostrum est; omnes enim (inquit Augustinus) qui per Christum iustificati, iusti non in se sed in illo: & illud, quia Christi, perfectissimum; & hoc, quia nostrum, debile & imperfectum. Homines nos finxit Deus, non Deos; Matura satis in cœlis perfectio est. Meritò ridet Ctesiphontem Hieronymus, nos Pontificium, O te fœli-

cem, O nimium beatum, ſi iuſtitia quæ iam non niſi in cœlis creditur, apud te ſolum inueniatur in terris. Sat nobis interea eſt defectus noſtros deflere, odiſſe iniuſtitiam: Vera Donatiſtarum vox eſt, Non habeo quod ignoſcas: Claudet nunc ſcenam hanc Bernardus: Non peccare Dei iuſtitia eſt: Hominis vero iuſtitia, indulgentia Dei: Imputare ergo & inhærere non minus diſtant, quàm ab homine Deus, à cœlo Tridentum: Quocirca fateantur illi demùm quod Scriptura, quod Patres, quod modeſtiores ſuæ Eccleſiæ doctores & ſenſerunt,

Optat. l. 2. contr. Donat. Ser. in Cant. & Serm. 4. de ver. Eſa. Rectam forſitan iuſtitiam, ſed non puram, &c.

& veluti communem Eccleſiæ prioris vocem laudarunt, ecce nos iſtîc vnum ſumus : Alioqui quid Deo cum Beliale commercij eſt, quid luci cum tenebris ?

(* *)

Sect. VIII.
De Libero Arbitrio.

VIcinus huic qui de Libero arbitrio locus eſt. Omittamus leuiora quæque de voluntatis natura. De viribus quæratur ; neque illud in naturalibus, humanis, aut vero moralibus. Tuta ſatis hîc pax, ſilentiumque planè nocturnum, ni fortè verba inter ſe litigent ; & vbi res conuenit quis non verba contemnat, pulchrè Auguſtinus? ſed in ſpiritualibus,& diuinis. Volumus quidem, volumus liberè ; neq; aliter quicquam velle *Aug. de ordin. 2*

poſſu-

Aliud eſt velle, aliud velle bonum. Rem.

poſſumus. Quis negat? nulla heîc determinatio phyſica, vis nulla; ſed velle bonum, bene velle non poſſumus: Liberè credimus; actus enim voluntatis fides; quin & cooperamur gratiæ; neque nos hîc vt lapides inſenſati, quod verè Auguſtinus: ſed vnde hoc? Ex nobiſne, an ex Deo? numquid ex gratiâ, an (quod damnat Arauſicanum Concilium) per vigorem naturæ, id demùm quæritur. Vtriſq; perplacet illud Auguſtini; Liberè velle opus naturæ eſt, benè velle gratiæ, malè velle, corruptionis: ſed (miſerum me) non magis aſtuti ſunt iſtîc

Tridentini, quàm Ieſuitæ inconſtantes. Adhuc tutum eſt quod è Ruardo ſuo Bellarminus, Opus pium quatenùs opus ab arbitrio eſſe, quatenus pium à ſola gratia, quatenus opus pium, ab arbitrio & gratiâ. Illud vero ingenuum, planeque Euangelicum, quod contra ſuos Catholico-Pelagianos docet, In rebus quæ ad Pietatem & Salutem pertinent, nihil poſſe voluntatem humanam abſq; auxilio gratiæ Dei: Vox Iacobi eſt; Conſta tibi modò, Bellarmine, diſpereat qui contra ierit. Pergo ſperare & legere: En quid libro plane eodem deinceps

Bell lib. 6. de Grat. c. 15. p. 10

Lib. 6. de Grat. c. 4. In titulo.

occurrit,

Lib.6.c.15.resp ad sec.

occurrit, Conuerſionem eſſe in poteſtate Liberi arbitrij, quoniam poteſt ſemper conuerti, quando voluerit; ſed & illud; Ante omnem gratiam habere nos Liberum arbitrium, etiam ad opera pietatis & ſupernaturalia. Ante omnem? Etiam præuenientem? Quin ſaniores edit recognitiones Cardinalis? Non præuenit ergo nos nunc Deus (quod Auguſtinus olim) vt velimus, ſed nos Deum præuertimus, quia volumus. Sed ne nimis craſſè iſtud; Ligata quidem eſt libertas, & ſic ſe habet, vt potentia videndi abſente ſpecie ſenſibili; Liberè videre poſſu-

L.6. de Grat. c. vlt. ſect. 1.

Aug. de corr. & grat. Nolentem præuenit vt velit, volentem ſubſequitur ne fruſtra velit.

mus, abſente obiecto ; liberè velle poſſumus, abſente gratia; Dicat mihi nunc Bellarminus; Numquid vel ad malum liberiores ſumus? Adeone delirauit vnquam Pelagius? Malum velle poſſumus, neque niſi à iudicio practico ſub falſa ſpecie determinatum, volumus tamen: ſed faxo hoc illi indultum. Quale vero eſt hoc Dei auxilium? Præuenire, inſpirare, excitare, adiuuare Dei eſt, inclinare voluntatem noſtri eſt. Quomodo nunc non plus nobis debemus quam Deo? Quid hoc aliud eſt quàm Pelagianum illud toties ab Auguſtino damnatum, ita liberum

Aug. epiſt. 46. & 47.

arbi-

Petr. Chryſol. Ser. 114. Chriſtus quicquid ſuarum virtutum eſt, refert ad gloriam patris: & homo, cuius ſuum nihil eſt, ſibi vendicare, quòd per Chriſtum reſurrexit, elaborat.

arbitrium à Dei gratia ſeparare, tanquam ſine illa vel cogitare aliquid, vel agere ſecundum Deum vlla ratione poſſimus. Poſſe viribus noſtræ voluntatis euitare peccata, tentationum leuiores quaſque titillationes (vt cum Bellarmino loquar) ſuperare; mandata Dei ſeruare quod Scotus &

Scot. 2. d. 28.

Durandus, inſpirationem ſpiritus abijcere vel recipere, quod Tridentini; Diſponere nos ad ſuſceptionem gratiæ,

Dur. ibid. q. 4.

Seſſ. 6. c. 5. & Can. 4.

quod Thomas & Suarez, cooperari gratiæ naturaliter, & conuerſionem facere efficacem quod Tapperus, quid eſt hoc aliud, quàm ſuffurari

Cit. Bell. ibid.

Deo, quo naturam hanc morticinam ſuperbè decoremus? Modeſtè Tiberius è multis quę reſtituiſſet perfeciſſetque ædificijs, nullum ſibi vendicauit, ſed nomina illorum indidit, à quibus ædificari cœpta. At iſti ſibi arrogant ædes, quibus ne tegulam quidem vnam impoſuerint. Abſit hoc à nobis turpe ſacrilegium, cum vendicet id ſibi Deus verè, ſancteq; Zelotypus Operari in nobis & velle, & facere; Ipſum velle credere (vt rectè Auguſtinus) Ecce non excitat ſed ἐνεργεῖ: Operatur ergo, & quod primum eſt, velle, & quod vltimum (ἐνεργεῖν) perficere: velle & cur-

Xiphilin. Tiber.

De Grat. & Lib. ar. c. 16.

rere

Hier. ad Cteſiphontem.

rere meum eſt, ſed abſq; Dei ſemper auxilio non erit meum, ſcitè Hieronymus: Sine me nihil poteſtis (inquit Chriſtus) imò ne cogitare quidem, inquit Paulus. Quid nos iſtic? Non mutili ſed mortui in peccatis. Creanda ergo in nobis influxu ſpiritus vita noua, quę non erat, non excitanda quæ inerat: iuxta Pſaltis illud, Crea in me cor mundum, non excita: ſed neque huic adhuc locus: Deſtruendum cor prius, indendum aliud; Auferam cor lapideum, dabo carneum, inquit Ezechielis ore Deus. At forſan (ais tu) diſpoſitis à ſe priùs paratiſque: Imo verò

Epheſ. 2.

Coloſſ. 1. & 3.

Pſal. 51.

Ezec. 11. 36.

non parum reluctantibus φόρτια σαρκὸς ἐχθρᾶς: At ſunt inimicitię quædam inteſtinæ, quæque ſe nunquam exerant. Ecce vim publicam, οὐκ ὑποταγήσεται: At parebit fortaſſis aliquando; Nec illud; οὐ δύναται: Ecce rebellem vſque Deo condicionem: Quę hîc ad bonum propenſio eſt? Quæ exequendi poteſtas? Sacrificent ſibimet (quod Seianus olim ſolitus eſt) ſi volunt, Pontificij: Ruat profecto cœlum; nos iſta nobis arrogare quæ Deo ſoli ſacra quadam ἀκοινωνησία competere deprehenduntur, nec audemus, nec poſſumus. Tutum quidem eſt Pontificijs ad nos (vbi lubet)

Xiphil. Epit. Dionis.

accedere : nobis ad illos de-
ſcendere abſque horrendo a-
nimarum prȩcipitio non licet.
Teſtetur G.Caſſander ; Teſte-
Conſultat. Caſſ. 1. tur (ipſo teſte) Bonauentura ;
Hoc(inquit)piarum mentium
eſt, vt nil ſibi tribuant, ſed to-
tum gratiæ Dei ; vnde quan-
tumcunque aliquis det gratiæ
Dei, à pietate non recedet, e-
tiamſi multa tribuendo gratiæ
Dei, aliquid ſubtrahit poteſta-
ti naturæ, vel liberi arbitrij ;
cùm verò aliquid gratiæ Dei
ſubtrahitur, & naturæ tribui-
tur quod gratiæ eſt, ibi poteſt
periculum interuenire. Hæc
ille : Nos autem totum gratiæ
tribuimus, Pontificij aliquid

natu-

naturæ; & quod illi naturæ, nos Deo adſcribimus: Quod ergo piarum mentium eſt, id nos facimus, dicimuſque; illi quod à pietate recedit, & cum animarum periculo (vel Bonauentura teſte) coniunctum eſt.

Sect. IX.
De Merito.

BAsis Iustificationis Pontificiæ, libertas est voluntatis: Iustificationis autem parietibus superstruitur meritum: De voce nulla lis erit: Sanctis Ecclesiæ Patribus non malè sonuit (nostris omnibus vltro suffragantibus) nomen, quod posteri miserè vitiârunt: De re, lis erit æterna: Pollicemur & nos quidem bonis operibus mercedem, quinimmo æternam: Verum illud verbum Iudæorum, Qui laborauit in vespera, comedet in sabatho:

Bucer. cit. à Cassandr.

Cypr. l. 3. ep. 20.

Petr. Chrysolog. Ser. 43. & 83. & Ser. 116. Salutem per veniam, vitam per solam speranda gratiam, &c.

Pollicitus enim eſt, præſtabitque Deus; qui tamen coronat nos in miſericordia & miſerationibus (vt verè Pſalmiſta:) non (vti Pontificij) ex ipſo rigore iuſtitiæ; non (vt Andradius) ſecundum operis debitum: Ex gratuito Dei dono, non ex noſtris meritis, cõdatè Caietanus: ſed & ex iuſtitia (ſi quis mauelit) ratione pollicitationis ſuæ, non ipſius operum dignitatis: Iuſti hominis opus in rei veritate; valorem condignum habere præmio cœleſti (quod ex profeſſore illo Anglo-Duacenſi refert Philoponus noſter Mortonius) & conuenientem habere pro-

Conc. Trident.

Orthod. Expl. l. 6.

Com in Gal.

Weſton. de Tripl. hom. offic. l. 2.

Pronot. pro teſt. l. 2. c. 11.

Com. in Ro. 6.

Tom. 1 in Th. 3. d. 11. De merit. op. l. 1. c. 9.

portionem æqualitatis & dignitatis cum præmio ipſo vitæ æternæ quod Pererius, idque in ſeipſo abſque vlla meritorum mortiſue Chriſti ratione, quod non erubuere Suarez,& Bayus, nobis blaſphemię proximum merito videri ſolet. At vero (quod moderatiores Papiſtæ præ ſe ferunt) meritum hoc noſtrum meritus eſt Chriſtus ; nec alia quidem opera hoc ſibi vendicare poſſunt, quàm quæ in Deo facta; vt loquitur Andradius ; quàm tincta Chriſti ſanguine, vt paulo elegantiùs nuperi Pontificiorum : Quid eſt niſi hoc ſit fucum facere, glaucomam ve ob

oculos obijcere imperitis? Peccata noſtra Chriſti ſanguine tincta legimus, non merita: Meruitne vero Chriſtus vt perfecta ſint quæ facimus? Quomodo ergo ita claudicant vel optimorum opera? Meruitne, vt dum imperfecta ſint, adhuc tamen mereantur? Quæ hæc Deo iniuria eſt? quæ terminorum contradictio? En modo tot Seruatores, quot bonos. Quæ facio mea ſunt, mea ſunt quæ mereor, quiſquis vel facere dederit, vel mereri: Claudo quiſquis equo inſederit, non poteſt non incertis, impeditiſq; greſſibus promoueri. Superbos vero ſuorum o-

perum æſtimatores, Pontificios, qui quæ ipſi fecerint, condigna cœlo venditent. Quibus nos merito, quod olim Aceſio Nouatiano Conſtantinus; Erigite vobis ſcalas Papiſtæ, & ad cœlum ſoli aſcendite: Quis ferat notatiſſimum illud Bellarmini; Homo iuſtus duplici titulo ius habet ad eandem gloriam, vno ex meritis Chriſti, ſibi per gratiam communicatis, altero, ex meritis propriis: contra quàm ſpiritus ſanctus, Stipendia peccati mors; donum autem Dei vita æterna. In quæ, paulò ſanctiùs Cardinalis alter, Caietanus, Non dicit quod ſtipendia iu-

Socr. l. 1. c. 7.

Rom. 6. ad fin.

Caiet. Com. in 6. ad Rom.

ſtitiæ vita æterna, ſed donum Dei vita æterna ; vt intelligamus non ex noſtris meritis, ſed ex gratuito Dei dono, aſſequi nos pro fine vitam æternam : propter quod & ſubdit, In Chriſto Ieſu Domino noſtro : Ecce meritum, ecce iuſtitiam, cuius ſtipendium eſt vita æterna, nobis autem donum, ratione ipſius Ieſu Chriſti, Hæc Caietanus : Quid planius vel Lutherus, vel Caluinus, vel quis alius Euangelicorum ? Quàm imperfecta in nobis, & munera Dei & noſtra opera clamitat vbiq; Scriptura ? Et ſunto quidem illa gratiæ munera ſuis numeris

abſo-

absolutissima, at nostra non sunt; sunto opera; at nimium debita sunt. Si vero debita Deo, quæ nobis inde merces debetur transcendentis gloriæ; Ecce nos & serui, & inutiles: ἀναξία inquit Deus; sunt condigna, regerunt Pontificij: Gratia seruati estis per fidem, idque non ex vobis (inquit Deus.) Gratia quidem, sed tamen ex nobismet, Pontificij. Quæ hæc insolentia est? Accersant nunc sibi scilicet vltroneam paupertatem monachi; qui spirituales diuitias, supra quod Ezekias suos auri aceruos, tam nimium ostentant. Verè Hieronymus, Difficilius

Ephes. 2.

Hier. Epitaph. Fabiolæ.

arro-

arrogantiâ quàm auro caremus & gemmis: His enim abiectis, interdum glorioſis tumemus ſordibus. Puduit certè ſceleſtæ huius arrogantiæ Greg. Ariminenſem, puduit Durandum, Pighium, alioſq; modeſtioris ingenij Theologos; vtinam æque puderet Ieſuitas, æque Tridentinos, horumque lictores Inquiſitorios: At illi ab alijs piè ac veraciter dicta, perfidiosè expunxerunt: Conſulatur Index Madriticus. Ex libro cui inſcribitur Ordo baptizandi cum modo viſitandi, impreſſo Venetijs anno 1575. Deleantur illa; Credis non proprijs meritis,

Ind. expurg. pag. 149.

Ex cod. libr. fol. 34. ad medium.

ritis, ſed paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtute & merito ad gloriam peruenire? Et paulò poſt. Credis quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro noſtra ſalute mortuus ſit: & quod ex proprijs meritis, vel alio modo nullus poſſit ſaluari, niſi in merito paſſionis ipſius. Nimirùm (quod de Origenis erroribus Hieronymus) hi ſcorpiones & colubri veterum, inter quos incedendum fuiſſet lectori, ni incolumitati noſtræ ſtuduiſſet probè Senatus Inquiſitorius. Quæ nunc ſpes iſtic concordiæ? Niſi ipſi (quod tutiſſimum aſſeruit Bellarminus) relictis

Hier. lib. de libr. Orig. περὶ ἀρχῶν.

propter non tam incertitudinem, quàm imperfectionem iuſtitiæ, & periculum inanis gloriæ, ſuorum operum meritis, fiduciam totam in ſola Dei miſericordia, & benignitate reponere,& velint & doceant.

(* * *)

Sect. X.
De Satisfactionibus.

AFfinis eſt merito ſatisfactio : & reuera quaſi ſurculus quidam, ex eadem radice ſuppullulat : quâ nihil vnquam fingi potuit in Chriſti merita contumelioſius : Nec diſplicuit patribus vocabulum, nec illorum ſenſu, nobis. Illud modò fas monuiſſe ; Incautas κατηχήσεις vocum, magno Eccleſiæ malo, rerum induxiſſe confuſionem ; vti econtrà (verè Tertullianus) Fides nominum ſalus proprietatum: Nihil nobis iſtic cum ciuili ſa-

Tert. de præſcript.

tustactione, nihil cum Eccleſiaſticâ : De qua Lutherus non incommodè, vel Caſſandro iudice; Eccleſia mater pio affectu prȩuentura manum Dei, caſtigat filios ſuos ſatisfactionibus quibuſdam, ne incurrant flagella Dei : Canonica hæc quæ plæriſque dicitur, nimis profecto iam diu vtrinque exoleuit. Quin & nos pœnitentiam à noſtris neceſſariò requiri, & exercitia quæque ſalutaria, veluti fructus ἄξιους τῆς μετανοίας, vel ad rauim vſque ingeminamus : Non quòd precium aliquod dignum & ſufficiens diluendis peccatis offerri poſtulemus (vt verè Caſſander)

Conſult. cap. de ſatisf.

Satisfactio pœnitentialis nihil aliud eſt quam conatus infectum reddendi quod factum eſt. Alphon. virues. adu. rſ. Luther.

der) ſed quòd officia illa præſtari debere doceamus, quæ Deus à peccatore, cui filij ſui ſatisfactionem impartiri velit, requirat. Iſta ſatisfactiones appellent, condonamus: Sed poſt abſolutiſſimam Chriſti paſſionem remanere quaſdam pœnarum reliquias, à nobis ſeu iſtic ſeu in Purgatorio, eo animo luendas? vt iuſtitiæ diuinæ ex hinc ſatisfiat, ſiue illæ à Deo, ſiue à ſacerdote, ſeu denique à nobis (vt diſtinguunt Tridentini) imponantur, ferre nec debemus, nec poſſumus. Quicquid enim illi operosè diſtinguant, fieri non poteſt, quin ſacrilega horum

opinio, verè ἱλαστικὸν Chriſti ſacrificium, imperfectionis cuiuſdam inſimulet. Conſiſtere poſſe (ſat ſcio) contendunt ſatisfactionem vtramque διπλοῦν, & humanam: Quarum alteram Bonauentura plenam, ſemiplenam alteram appellauit: Et hæc verba quidem ſunt; ſed dicant mihi ſophiſtæ; Quod plenum eſt, annon continet in ſe quod ſemi-plenum? Aut quid hoc opus vbi illud ſuppetit? quicquam-ne denique addi poteſt perfecto? At hæc duo cautiores quidam nec opponi fortè volunt, nec ſubordinari: Pudet enim dicere quid Suarez, quid Duran- Cis. Caſſ.

dus, & alij craſſiores Pontificij, hac de re diſſeruerint. Illud (ſi mauolunt) teneant (quæ tamen non à Cardinale modo, ſed & à tribus etiam Pontificibus vapulat opinio;) hominum ſatisfactiones applicare ſolummodò quod Chriſti promeruê e: Sed neque hoc illis effugium: Chriſti enim ſatisfactio (vti ipſi docent) æternam pœnam ſpectat, non temporalem: Quomodo igitur vel ſemel cogitari poteſt, nos ſatisfactionibus noſtris efficere, vt quod ad æternæ pœnæ expiationem deſtinatum eſt, temporali diluendæ inſeruiat? quare vero nos iſtud po-

Bell. de Indulg l. 1. c. 4. Pio 5. Greg. 13. Clem. 8. &c.

tiùs effecerimus, quàm ipſe Chriſtus? ſed & quàm iſtud abſurde? vt qui minas pro nobis largâ manu ſoluerit, denariolos quoſdam nobis (è tam tenui peculio) numerandos reliquerit. Quæro autem; Nunquid aut non potuit, aut fortè noluit Chriſtus temporales haſce pro nobis pœnas ſubire? Non potuiſſe, impium eſt; noluiſſe, audax & illiberale. Vbi reſtrictio vlla eſt? aut qui fines huius miſericordiæ? Culpa remittitur (inquit Conciliabulum Tridentinum) non condonatur pœna: Nunquam hoc dixerit Orientalis Eccleſia, quæ ſtrenuè ſe ſem-

per huic errori oppoſuit: Quale vero hoc opprobrium eſt infinitæ condonantis miſerationi? quale & iuſtitiæ? Cui debetur pœna niſi culpæ ſoli? Vnquamne pœnas inflixit Deus indebitas; ſæpe quidem quas meruere peccatores, quaſque illis meritò interminatus eſt, remiſit, nullus vnquam quas remiſit, repetijſſe comperitur. Punit nos herclè Deus (caſtigat potiùs) ſæpe etiam fortaſſe ſeuerius, vel poſt remiſſam delicti: non quo ſibi de nobis ſatisfiat (nam quî illi ita cordi eſſe poteſt, nobis vt ſit malè?) ſed quò nos ſibi conformes efficiat,

quò emendatiores. Nihil nunc vindice manu nobis imponit Deus, ſed paterna : Patimur nos iſtîc, ergo, non ſatisfacimus : ſolius hoc æterni Sacerdotis eſt, Sacerdotij æterni : neque minùs quàm perſona ipſius, Angelis Sanctiſue communicabile : Et fecit ille quidem quod ſuum eſt ; redemit nos ex τῆς κατάρας τȣ̃ νόμȣ : Legalis autem pœnæ pars vltio temporalis : Nobis ergo dextras iſtic coniungere perfidioſum hercle foret, planeque proditorium : Quod ſi noſtris ſeu cruciatibus, ſeu bonis operibus (quantumlibet etiam pœnalibus) hoc fieri non poſſe

conſtet, quantò minùs alio-
rum? Nemo non ſanctorum,
iure vſurpârit illud Virginum
Matt.25.9. prudentiorum, ὐκ ἀρκέσει ἡμῖν καὶ ὑμῖν.
Sed non neceſſe habet conuin-
ci, quod ſua ſtatim profeſſi-
one blaſphemum eſt,
Hier. aduerſ. Cteſiphont. pulchrè Hiero-
nymus.

Sect. XI.

De Purgatorio.

EX satisfactionum opinione pendent & Purgatorij fabulæ, & Indulgentiarum: lepidæ profecto ambę, & iambis non indignæ: Quo de vtroque opportunè mihi succurrit illud Lutheri σκωμμα μαιστοινικον, è Propheta excerptum: Domine, non possum vesci stercore humano: Quod si modò dubitanter & problematicè Purgatorium suum Ecclesiæ propinassent, facilè quidem nobis esset, conniuere: haud scio interibi, splenis-ne

potius negotium eſſet, an viſcerum ; riſu ne dignius, an miſeratione : ſed cùm ad Catholicam fidem pertinere doceat Bellarminus, ſcituque omnino neceſſarium velit Roſſenſis, non poſſumus hercle non indignari : Scripturæ quàm iſtuc miſerè detorqueantur, diſpeream niſi nouennes pueri facilè poſſint perfentiſcere. Quod de ſui temporis hæreticis Hieronymus, Ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia : quaſi grande ſit & non vitioſiſſimum docendi genus, deprauare ſententias, & ad voluntatem ſuam ſcripturam trahere repug-

Hier. Paulin.

nantem.

nantem. Nec alia certè fide Antiqui : E quibus Origines, Ambroſius, Hilarius, Lactantius, Hieronymus purgatorium aliud, Auguſtinus incertum fluctuanſq;, reliqui prorſus nullum ſomniârunt : Fallor : Platonem ſententiæ huius patronum laudant Euſebius & Auguſtinus. Homerum vero & Virgilium quis neſcit? Gregorij demùm æuo flagrare cœpit hic ſacer ignis: & ex illo, Alcorani fide non parum auxit. Hoc illud eſt quod Roſſenſis noſter ingenuè, flammam hanc ſerò Eccleſiæ cognitam fuiſſe : Nobis verò extorqueri è manibus non po-

Euſ. de prap. Euang. l. 1. c. vlt. Aug. de Ciuitat. Dei, lib. 21. c. 13. quo & ibid. Virgil. citat.

teſt

test illud Pauli ; Cùm terrena
hæc domus fuerit dissoluta,
habere nos in cœlis ædificium
2.Cor.5.1. ἀ εἰσοπάιητον ; Quando autem il-
lud (εαν) Pauli ? Ioannes in-
Apoc.14.13. terpretabitur, ἀπάρτι ἀπο νήσκοντες ;
Quando demum illud ἀπάρτι ?
Hodie inquit Christus ; vel ab
ipso animæ egressu : Com-
mendent animas suas Deo, in-
quit Petrus ; sed quid inde ?
Quod extinguet prorsus com-
mentitium hunc ignem, com-
mentitius ille Salomon (Pon-
Sap.3.1. tificijs genuinus) Δικαίων δὲ ψυχαὶ ἐν
χειρὶ θεοῦ, καὶ οὐ μὴ ἅψηται αὐτῶν βάσανος.
Ecce vel animas absque pur-
gatione, vel purgationem abs-
que dolore.

At

At quid nos iſta moramur? Agedum: Coeant in vnum Pontificij doctores: Conueniant inter ſe de ſitu ſui Purgatorij, de cruciatibus, de ſubiecto, de duratione, de tortoribus, de animarum inibi detentarum conditione: & dein noſtrum poſt illâ aſſenſum præſtolentur: Interea temporis, quin liberum nobis ſit cum Suarez vagis defunctorum manibus non credere niſi metaphoricè; & non minus Purgatorium illud plebeium denegare, quàm Bellarmino aliud nouum admittere nobile ac ſenatorium.

Tom 4. in Tho. d.46.

Beller. de Purg. l.2.c.7.

SECT.

Sect. XII.
De Indulgentijs.

REum est Indulgentiarum Purgatorium, fatente Rossensi. Vtrumque peperit superstitio, alunt auaritia. Leuiore manu istas tango. Diu est ex quo ingenuos quosque Romæ alumnos puduit huius piæ fraudis. Amo hîc Cassandrum, qui sic modestè, & verè: Pœnarum Canonicarum imminutio, & relaxatio, olim Indulgentia dicebatur, quæ hodie ad priuatas quasque satisfactiones traducta est, & ab Episcopis, ad solum Roma-

num Pontificem, plenum Indulgentiarum tribuendarum, ius delatum : circa quarum vſum & praxin, optimi quique correctionem & moderationem fieri deſiderarunt, vt quæ parùm dextrè tractatæ, huius dilacerationis Eccleſiæ præcipuam occaſionem dedêre. Hîc optandum eſſet, vt Pontifices publicæ paci aliquid concedant. Hactenus Caſſander: Cui etiam concinit Polid. Virgilius ; nigro carbone dignior vterque, quàm bonus ille Roſſenſis quem malè notauit Valentianus : Nec defuere è ſuis (Bellarmino teſte) qui & Theſaurum Eccleſiæ, & Indulgen-

Gr Val. de Indulg. c. 4.

tias in diſcrimen vocarint; nec
deſuerunt, qui vel eſſe, vel pro-
deſſe audacter negare auſi. Et
ſane, quis non nimiùm philtris
illius meretricis ebriulatus, fe-
rat, vt cùm imputatio merito-
rum Chriſti ad peccatoris iu-
ſtitiam, nobis à Deo facta, paſ-
ſim inter illos deridiculo ſit,
merita tamen & paſſiones ho-
minum ſanctorum, è commu-
ni quodam theſauro ad le-
uandas animarum pœnas ab
homine imputentur? Quis fe-
rat vt mortalium aliquis ſatis
ſuperque faciat Deo? quis fe-
rat prodigas Indulgentiarum
conceſſiones, & nundinatio-
nes turpiſſimas? quis ferat

precularum quarundam ſupinæ obmurmurationi (neque enim opus eſt, ſi Caſuiſtis credimus, vel intentione animi, vel deuotione) conceſſam à Ioanne 22. annorum decies centenorum millium Indulgentiam? quis ferat (cùm non vltra mundi conflagrationem ſæuire hanc flammam poſſe autument) vno tamen libello paulò minùs quàm annorum vndecies mille millenorum Indulgentiam, credulis, deuotiſque animis offerri. Quid multis? præ manibus mihi eſt liber manuſcriptus, membranaceus, carie tineiſque eroſus, in quo (præter alias abſurdiſ-

Horæ B. Virg. Stat. Rom. rithmic.

Horæ B. Mar. Virg. ad vſum Sarisb.

ſimas

ſimas blaſphemaſque pollicitationes) vni perbreui oratiunculæ facultas datur, infernales pœnas (recitanti fortè debitas) in purgatorias commutandi; poſt-modùm vero purgatorias, in ſumma cœli gaudia. Conſuluiſſet ſibi probè Bellarminus, ſi quod alijs quibuſdam viſum fatetur, ipſe ſuo probaſſet calculo, bullas haſce non à Pontificibus datas, ſed à quæſtuarijs potius ἀσχροκέρδως confictas: ſed quis candor Ieſuitis? quamque ſenex Pſittacus, (quod ille olim) neſcit ferulam? Quis ferat inhumanam hanc προσοπολη ψίαν, ditiores vt loculis redimere poſ-

De Indulgent.

ſint

ſint ſacrum hunc Eccleſiæ theſaurum, animaſque ſuas & ſuorum è diro hoc carcere nummis liberare, dum indigentiores quique, abſq; omni ſpe veniæ, naturæve relaxationis, ad extremum vſque diem torqueantur? Denique, quis ferat vt cum penes Chriſti Vicarium ſit, miseras animulas ab igne cruciatorio (quem ſola æternitate ſuperare dicitur infernus) euocare, ſinat eas tamen vſq; eiulare, ac torreri crudeliſſime, nec omnes theſauri ſui cumulos (tot captiuorum ſpirituum ſpirituale precium) pia manu profundat. Infœlix (quod de diuite Ambroſius) cuius in

Ambr. de Nabothe.

potestate est, tantorum animas a morte defendere, & non est voluntas. Quorsum illi indulsisset Deus hanc Indulgentiarum potestatem, in alijs beneficam voluisset; & vbi Paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Porrigat ilicet hasce siliquas porcis suis, Circe illa Romana.

Chrys. vel author operis imper.

Sect. XIII.

De Distinctione Peccati Mortalis & Venialis.

PRæ se quidem ferunt Indulgentię notissimam peccati mortalis & venialis discriminationem: quam nec Deus admittere vnquam voluit, nec ipso reclamante, Euangelici. Gradus esse quosdam mali, agnoscimus nos æque ac docemus; vt meritò hic Campiani, Duræi, Coccij, Burdegalensium, qui Stoicæ cuiusdam, & Iouinianicæ paritatis opinionem nobis exprobrârint, & fidem, & frontem desideremus,

etiam desideràrit ante nos Bellarminus: Atrociora quædam sunt alijs delicta, lætifera tamen naturæ suæ malignitate vniuersa; vt e venenis, quædam lentius, mitiusque, celeriùs quædam, & impetuosiùs enecant; mortem tamen accersunt omnia. Sed & ratione immensæ Dei misericordiæ, quin & subiecti verè fidelis, ac pœnitentis habitâ, nullum non peccatum (Prudentij verbo) veniabile; ipsius vero ἀτρώτου nullum non æterna mortè dignissimum. Omne peccatum vipera est; nulla vipera non morsu interimit, modò ipsam bestiolæ naturam spe-

ctes ; at ſiqua fortè in Pauli manum inciderit, in ignem inulta excutitur. Nemo minus fugiat noxium animal, quòd incolumem Apoſtolum intuetur ; Pariter ſe habet fideli peccatum. Symbolum eſt Ioannis, Peccatum omne ἀνομία: 1.Io.3.4.
Symbolum Pauli, ἁμαρτία peccati Rom.6.
mors. Conijciantur hæc duo ; naturalis peccati venia euaneſcit. Rhemenſes noſtri (acuti Ia 1.Io.3.
homines) conuerſionem propoſitionis non minùs ferunt, quàm ſuam : Eſt quidem (inquiunt) omne peccatum ἀνομία, ſed non omnis ἀνομία peccatum. Conuertit ergo ipſemet Apoſtolus πᾶσα ἀδικία ἐστὶν ἁμαρτία. Omnis

Com. in locum.

autem ἀνομία, ἀδικία est, teste Augustino; Regula enim iustitiæ lex; prævaricatio ergo legis iniustitia; Sed & ipsum nomen os illis planè obstruit; Quomodo enim peccatum vniuocè vel veniale, vel mortale est, si veniale, peccatum non est: Peccati vero stipendium mors. Quòd ergo ogganniunt Pontificij, mereri in se veniam peccatum hoc (nisi meritum κατηχητικῶς solummodo

τὸ ἐπιτυγχάνειν.

consecutionem interpretemur, cum Stapletono) Quòd Bellarminus & Nauarrus venialia non esse contra, sed præter legem, Quod Franciscus à

Fr. à Vict. Sum. Sacr. Panis. nu. 100. p. 63.

Victoria benedictionem Epis-

copi,

copi, orationem dominicam, tunſionem pectoris, aquam benedictam, & ſimilia, ſine quocunque alio motu bono, ſufficere ad venialia remittenda, ita nimiùm ab omni & pietate, & iuſtitia videtur abhorrere, vt nobis neceſſum ſit, ab his naturæ, imo peccati lenonibus æternùm diſſentire: Vetus illa regula eſt, & ęque profecto vera: Facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi: ſed & (bone Deus!) quæ illis audiunt vulgo venialia? Ebrietas, adulterium, irati hominis blaſphemia, auaritia; quin & furari, mentiri, maledicere parentibus (quanta flagitia?)

Decr. 23. q. 4. eſt iniuſta.

Petr. Alagona Comp. Manual. Nauarri. pag. 91. p. 267. p. 140. p. 191. p. 352. p. 100. Adulteria, & alia leuiora peccata. Pontificale.

istuc accenseri solent: Insignitè sit improbus oportet, qui istanc licentiam non perhorrescat. De istis vaticinatum puto Socratem historicum dum ait; Nonnulli scortationem rem quidem indifferentem arbitrantur, sed tamen de diebus festis tanquam de vita decertant. Mitto quæ περὶ τῆς προτῆς ἁμαρτίας (vt appellat Chrysostomus) nomine, re, condicione, ac pœna, vtrinque non leui verborum lite, (vt Cassandro visum) disceptari solent. Nec attingo Euangelicam votorum perfectionem, nec periculosissimam temerè vouentium seruitutem, nec incom-

Socr. l. 5. c. 21.

moda monachatus ; quæ tot ac tanta ſunt, vt Delecti illi à Paulo tertio Cardinales vnanimiter pronuntiarint, Conuentuales Ordines abolendos putamus eſſe omnes; quod ad ipſam tamen vitæ conditionem attinet, fiat modò quod monent Caſſander, & Clingius ille Franciſcanus ; remoueatur falſa opinio, & præpoſtera fiducia, ne in his operibus fiducia collocetur, quæ in ſolo Chriſti merito collocanda eſt, nec quis inde putet ſe promereri iuſtitiam, & remiſſionem peccatorum, & gratiam ; addo etiam, abſit otium, ſuperſtitio, & neceſſarij

Oſiand. Papa non Papa.

liga-

ligaminis imperium, nos non adeo improbandam iudicamus. Nec alia putamus collegia noſtra, quàm ſacratiora quædam ἀσκητήρια, in quibus iuxta Pelagij Papæ præceptum, ſacris Dei ac Eccleſiæ muneribus obeundis maturè inſtrui, & aptari poſſimus. Talia fuere & veterum monaſteria; vt vel ex vna ædicula, decem in Clerum emiſiſſe Auguſtinum, author ſit Poſſidonius.

Poſſid. in vita Aug.

* *
*

Sect. XIV.
De Canone Scripturæ.

NVnc demum (ne nimius ſim) ab his quæ noſmet-ipſos non obliquè ſpectare mihi viſa ſunt, feſtino ad ea, quæ Deum ipſum propiùs attingunt, haſtamq; in cœli terminos minaciter conijciunt. Ea vero ſiue Scripturam verbum Dei θεοπνευστον; ſeu Chriſtum, verbum ἐνσαρκον, ſeu deniq; cultum diuinæ maieſtati debitum reſpiciunt.

Et ſcripturæ quidem dica triplex impingi ſolet, eaq; profecto grauis, grandiſq;. Prima

aucti canonis, secunda negatę αὐταρκείας, tertia suspensæ ab Ecclesia authoritatis: Corruptissimam enim sacrarum literarum versionem Tridentinis vnicè authenticam (de qua, iure bono Reuchlinus Hieronymi vestigia premens, Hebræi fontes, Græci riuos, Latini paludes bibunt) sciens prudensque prætereo. Inprimis quis ferat ἐπίβλημα ῥάκους ἀγναφοῦ adsui panno veteri? aut quid hinc nisi χεῖρον γίσμα? Quis ferat vt contra Hebræorum fidem, contra Melitonis, Cyrilli, Athanasij, Origenis, Hilarij, Hieronymi, Ruffini, Nazianzeni clarissima testimonia, contta Doctores

Hier. aduers. Helvidium.

Recensuimus hæc largius Præf. ad pacem Roma. Ep. ad Ones. cit. Eus. Cyr. cat. 4. Ath. in synops. Or. cit. ab Eus. l. 6. & Præf. in Ps. Hier. Prol. Gal. Ruf. Symb. Naz. in Carm.

medi-

medioxumos nuperosque vel ſuos; ſex integri libri ſub anathematis pœna, Deo ipſi eiuſque Eccleſiæ à Tridentinis patereulis imperioſius oberudantur? quorum etiam aliqui magicas præſtigias, alij [illegible], mendaces plane fabulas alij, alij ritus ethnicos, alij denique crudelia facinora, non ſine publico quodam applauſu lectoribus propinent. Iſtos quidem candidè (vt ſæpe ſolet) Caietanus (Hieronymum ſecutus) in Canonem voluit à veteribus adſcitos non fidei ſed morum: Et certè Syracidis, fictitijque Salomonis, & Eſdræ præcepta plæraque non pa-

Seſſ. 4. Decr. de ſacr. Scr. promulg. 8. Aprilis, &c.

In fin. Com. Vat. Teſt.

rùm

rum redolent ſapientiæ: At quales obſecro ab hiſtorijs hiſce mores; vel à Catechumenis (ad quos relegabat iſtos Athanaſius) ediſci, imbibique poſſunt? Verè ego de iſtis dixerim, quod Chius ille ſeruus, de Domino ſuo vinum vendente alijs, epotante vappam; Cum adſunt bona, quærunt mala: Sint verò hi (quantumuis olim fatente Epiphanio, ἐν ἀμφιλεκτῳ) ſacri omnes, ſint (quod voluit Carthaginenſis Synodus, totieſq; prouocatus iſtic Auguſtinus) δευτερο-κανόνικοι: Diuini tamen vt ſint, quis hominum vel Angelorum præſtare vnquam poterit? Noui-

Epiph. l. 1. ſec. 5.

mus

mus nos quidem ſatis, quantæ impietatis ſit, Deo cœli ſupponere humani ingenij fœtus; nec quid mouere nos poteſt Anathematis Tridentini inanis crepitatiuncula; cum tonantem audim[illegible] Deum, Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus illi plagas ſcriptas in hoc libro.

Si quis libr. Mach. Dan. Baruc. Eccl. Sap. Judith. Tob. Macab. pro Canonicis non recep. Anathema ſit. Seſſ. 4. Apoc. vlt.

Sect. XV.

De Scripturarum Insufficiencia.

NEc scio certè iniquiorisne audaciæ sit, affingere Deo, quæ non scripserit, an eorum quæ verè scripsit authoritatem enervare, tollere sufficientiam : Palàm faciunt Papistæ : Nos asserimus (inquit Bellarminus) non expressè in Scripturis contineri totam doctrinam necessariam siue de fide, siue de moribus: Et Tridentini, pari pietatis affectu, pari veneratione suscipi iubent Traditiones, cum ipsis Scripturarum libris : Non

Bellar. lib. 4. de verbo non scrip. to, c. 30. sect. 1.

scriptæ veritates (inquit Morus nostras) æquipollent verbo Dei: Quis hic concordiæ locus? sunt res quædam mediæ, ritus adiaphori (non inficiamur) in quibus aliquid Ecclesiæ, traditionibus aliquid tribuendum: sed quæ ad salutem simpliciter necessaria sunt, seu factu, seu scitu, ea vel per verba, vel per sensum (vt Aquinas distinguit) in sacris Scripturis non reperiri, meritò quidem ἀθεόλογον, cum Erasmo definimus. Διαπυπώσεις quædam publici ordinis ergò, ab Ecclesia sunt; at ὅρος quique necessarij à Dei voce petendi: Verè hic Nisseno κανὼν ὄρθος καὶ ἀδιάστροφος;

Contr. Præf. Tyndalli. nec. dissim. Roff. art 37. contr. Luth.

In Can. Nicen. Græc. eodem Pisan. Rin. Tom. 1.

Lex Domini perfecta eſt, Dauidi; quin & perfectum facit, inquit Paulus: Quid vero addi poteſt perfecto? aut quæ perfectio, vbi deſit neceſſarium? imo vbi (verbis Hoſij) pars maxima? Quàm nunc fruſtra eſt ſpiritus? ſcripſit hæc vt crederemus, vt credendo ſaluaremur. Atqui iam (Tridento iudice) credamus quæ ſcripſerit licet, ſalui non ſumus tamen, ni quæ non ſcripſerit pariter amplexemur. O malè edoctum, male locutum Conſtantinum; cui tamen nemo ex Heroibus illis Nicenis facili reprehenſione vel aurem tetigerit; dum ait; Euangelici

Theod. l. 1. c. 7.

& Apoſtolici libri, nec non antiquorum Prophetarum oracula planè inſtruunt nos ſenſu numinis. O miſerè occæcatos Patres ad vnum omnes, qui nullam aliam fidei regulam, aut agnouerint vnquam, aut viderint: Inuiditne vero humano generi Deus plenariam hanc voluntatis ſuę perpetuis literarum monumentis conſignationem? aut non expedire cenſuit in hoc communi veritatum conclaui (vt Roffenſis appellat) neceſſaria quæque reponere? aut num fortè incertius eſt quod literis fideliter mandamus, quàm quod vagis hominum

Tert. de præſcr. & lib. contr. Her.
Orig. in c. 16. ad Ro.
Athan. in ſynopſ.
Ambr. l. 3. Hex. c. 3.
Aug. Ego ſolis Scripturis. De nat & gr. c. 61.
Optat. Mil. l. 5.
Thom. in Mag. l. 3. d. 3. q. 1. art. 1. citat ex Hieron. Non mihi credas ſi quid tibi dixero, quod ex nouo Teſtamento vel veteri habeari non poſſit. Decr. Cauſ. 11. Quæſt. 3. cap. 101. Is qui præeſt, &c.

rumoribus circumgestari, & aereo hoc fluxu, ad sera nepotum secula deriuari solet?

Iren. l. 3. c. 3. Quale est (vt sapienter Irenæus) Prophetarum, & Domini & Apostolorum, relinquentes nos vocem, attendere his nihil sani garrientibus? Vel (si istud expedit) quàm mihi nunc frustra estis ἀκουστέον, Prophetæ, Apostoli, Euangelistę? Et quod ille olim de vniuerso, Matt. 26. 9. εἰς τι ἡ ἀπώλεια αὕτη. Pernicioſa sunt hæc quidem Ecclesiæ, & à diuinæ tum sapientiæ, tum bonitatis gloriâ, non parùm abhorrentia Paradoxa; Teneant ergo ista qui ausint, nos profecto nunquam commit-

temus,

temus, vt quæ duæ hæreticorum notæ ab Irenæo quondam assignatæ sunt, in scripturæ simplicis authoritate non acquiescere, traditiones alias iactitare, eæ nobis nunc metro mutantur. Iren. l. 3.

Sect. XVI.
De Authoritate Scripturæ.

SEd illud adhuc longe iniquiſſimum eſt, αὐτοπιστίαν verbo Dei denegare, & ita ſuſpendere ab Eccleſia Scripturas, vt neceſſe illis ſit authoritatem ſuam omnem ab humanis ſuffragijs emendicare: Bonus ille Eckius in repurgato a ſe demùm Enchiridio, Scriptura (inquit) non eſt authentica, ſine authoritate Eccleſiæ; cui ſententiæ vt verè aureæ, ac nobili, adijcitur in margine gratulantis, ouantiſque calami plauſus; Achilles

Enchir. Eccij 7. recognitum. ann. 1536. fol. 8.

pro

pro Catholicis. Mitto Hermanni ac Hosij (sub Swinckfeldij fortassis nomine) blasphemias : Mitto horrendam glossematis illius turpissimi impietatem, quod Salomonis textum à Papæ canonizatione fidem suam mutuari docet: Instar omnium, erit ipse Bellarminus ; qui septenarium Sacramentorum numerum Concilij Tridentini authoritate (hæc enim illis ἱερὰ ἀγκύρα) suffulturus ; Omnium inquit Conciliorum veterum, & omnium dogmatum firmitas pendet ab authoritate præsentis Ecclesiæ : Et paulò ante; Si tollamus authoritatem prę-

Iun. Animad. in Bell. de verbo Dei ser.

Gloss. in decretal. l. 2. Tit. 23.

Bellar. de num. & effect. Sacr. l. 2. c. 25. p. 300.

sentis Ecclesiæ, & præsentis (Tridentini scilicet) Concilij; in dubium revocari poterunt omnium aliorum Conciliorum decreta, & tota fides Christiana? O instabiles, miserreque vacillantes Pontificiorum animas! Quot non capita modò, sed & regna integra, eaque profectò florentissima (fatentibus ingeniscentibusq; Romanis) Tridentini Concilij authoritatem omnem etiamnùm pertinaciter reijciunt? Quæ illis fidei certitudo? quæ spes salutis? Ain' vero? Tota fides Christiana? dogmata omnia? Etiam quæ digito Dei exarata, etiam quæ a spiritu

ſancto dictata? Quid hoc aliud eſt, niſi Deum ipſum hominibus emancipare, humanoque tribunali ſiſtere cœli fabricatorem? Deus erit Deus, erit quæ eſt Dei Scriptura, quantumlibet reclamantibus Roma, Tridento, Orco: Et in nos iſtud arctiſſimè teneamus, nulla nobis cum Deo pax erit, ni denegemus, nulla cum Pontificijs.

(***)

Sect. XVII.

De Trans-substantiatione.

HÆc quidem scripturas: quæ sequuntur Christi spectant seu personam, seu munera; Mitto quam [illegible] meram profecto (iudice Bellarmino) [illegible] instituerunt censores Pontificij: grauioribus insisto: Vtinam certè humani corporis veritatem non prorsus destrueret explosissimum illud μετουσίας dogma, & quæ illius radix est, πολυπουρουσίας? Bone Deus! fierine potest (quod Auerroes olim lusit) vt panaceum sibi Deum

Genebrard. l. 1. de Trin. Lindan. 2. dial. Canisius in præf. lib. de Io. Bapt. Bellar. l. 2. de Chron. c. 19. Caluinus sine dubio in modo loquendi errauit: sed dum rem ipsam discutio, non facilè audeo pronunciare illum in hoc errore fuisse.

fingant

fingant Christiani, vt quis hominum credat Christum, suum ipsius corpus alterâ manu gestasse, porrexisse deglutiendum sanctis hospitibus, qui illum & inter manducandum, & post sacrũ illud frustulũ piè deuoratum, præsentem intuiti sunt, alloquentem audierunt? vt ipse filius hominis se totum simul deuorârit, integer tamen & incolumis interea discubuerit; vt glorioſum corpus Christi in rancidulos ventriculorum meatus deferatur; vt vel in corporis nostri substantiam inibi demùm conuertatur, vel contrà quàm spiritus olim (nec sines sanctum tuum Ps. 16. 10.

videre

videre corruptionem) putredini obnoxium ſit, vel in nihilum euaneſcat, vel redeat in cœlum illud in quo erat antequàm rediit, dum rediit ; vel a muribus (pijs animalculis) comodi, vel venenis denique miſceri poſſit ? Quæ hæc ineptiarum portenta ſunt ? Quàm hæc inſana, quàm impia ſtultorum hominum pertinacia eſt, ipſa naturæ principia, rerum ordinem, ſeruatoris humanitatem, veritatem ſacramenti, conſtantem Scripturarum ſententiam, fundamenta Theologiæ conuellere actuſque deque habere ; cœlum terræ miſcere denique,

potiùs quàm vt tropicam loquendi rationem (vbi neceſſe eſt) admittere velint; clamante interim omni patrum Senatu Symbola, ἀντίτυπα, ſigna, exemplar, ſimilitudinem, figuras, indignante cœlo, ridentibus Ethnicis, reluctante Eccleſia: Occidit hæc litera cordatè (quod non ſemper ſolet) Origenes. Quæ nunc iſtîc concordiæ ſpes? Verè hic offerri, verèque percipi verum Chriſti corpus, quis noſtrûm non conſtantî fide docuit vſque, & defendit? At qui demùm iſtud; non corporeo tactu, vt Cyrillus & Ambroſius, ſed fide: Illud vero, Corpora-

Tertull. contr. Marcion. l. 4. Beat. Renanus fatetur hunc errorem. Tertull. in Berengarii refutatum.

Aug. Pſ. 3. & epiſt. 162. Pſ. 98. De doct. Chriſt. l. 3. c. 16. Chryſ. hom. 46. in Ioan. Theod. dial. 1. & 2. Naz. Epit. Ca.

Bell. l. 1. de Euchar. c. 1.

liter,

liter, Carnaliter, Oraliter adeſſe & (quæ Berengario præiuit bonus ille Papa Nicolaus, illumque ſecutus, Alanus noſter) dentibus teri, dilaniarique, impium nobis ſemper videbitur & (Auguſtino iudice) flagitioſum. Placet hîc Ariæ Montani candor, qui in Lucæ 22. Hoc eſt corpus meum; id eſt, Verum corpus meum in hoc Sacramento panis continetur ſacramentaliter; ſubditque, vti Nicodemus alter (nocturnus Chriſti alumnus) Cuius arcanam & myſterijs refertiſſimam rationem, vt explicatiorem habeant Chriſtiani, dabit aliquando Domi-

De doctr. Chr. l. 3.

Montan. in Luc. 22. 19.

In verſ. 18.

nus: Hæc ille: Interea nos prodigioſum Tranſ-ſubſtantiationis dogma quod vnum, tot in ſe abſurdos errores continet, quot momenta temporis ab eius prima efformatione (id eſt a Concilio Lateranenſi) ad hanc vſque horam interceſſerunt, vt inſomnium planè diabolicum, execrabimur.

* * *

Antea enim libera erat cuique ſua hac de re ſententia. Tonſt. de verit. corp. & ſang. Idem Scot. & Biel. vt citantur a Suarez. Scot. in 4. d. 11. q. 2. Dicendum quod Eccleſia declaranit iſtum intellectum eſſe de veritate fidei in illo ſymbolo dato ſub Innoc. 3. in Concil. Lateranenſi.

Sect. XVIII.

De multipræsentia Corporis Christi.

ISTud vero [illegible] edidit certè illa altera, quæ de [illegible] Christi corporis fabula est, & in scenam produxit: nec scio vtri primas deferam fatuitatis, fraudisque sophisticæ: Vt mille in locis sublunaris huiusce mundi sit idem Christi corpus, quod tamen interea totum in cœlis est; Vt integrum corpus Christi in minutâ quadam placentulâ ita deliteſcat, membra vt se non penetrent, sed distincta, & inter se disposita sint, habeantq;

figuram

figuram, & ordinem humano corpori conuenientem, (quæ Bellarmini verba sunt) non rationem modo exuperat, sed fidem : Neque iam (vt olim) Ecce hîc Christus, aut illîc, sed (quod longè turpius) Ecce & hic Christus, & illic ; Æternæ veritatis illud est receptissimum in scholis axioma ; Vnitas numerica rei finitæ consistere non potest absque continuitate : Quem non pudeat hîc Iesuitarum ? Loca ipsa in quibus Christi corpus est (inquit Bellarminus) discontinua sunt, sed & Christi corpus diuisum est a se, respectu loci ; sed non respectu propriæ sub-

Cour. Vorst. epitrib. epist. o Iul. Scal.

Aug. epiſt. 57. Spatia locorum colle corp. muſquam erant.

ſtantiæ, ſiue quantitatis: Quaſi vlla eſſet diuiſio ſubſtantiæ niſi per terminos: Quaſi ſolo loco non & terminari ſoleat quantitas & commenſurari: quaſi certiſſima non eſſet loci ad locatum relatio. Atqui hoc non iam ſoli competit Chriſto: Sanctus ille Xauierius noſtro æuo (vnus ex pullis Loioliticis) & in naui ſimul viſus eſt, & in ſcaphâ: retulit Turſellinus; Ego diuo Ludicro, & parili fabulatori, Plautinum Amphitruonem committo: Tun' id dicere audes verbero, quod nemo vnquam homo antehac vidit, nec poteſt fieri, Tempore vno homo idem

Citat. Matth. Suſlinius reſp. ad Bell. de Euchar.

Plaut. Amphitr.

duobus

duobus vt locis ſimul ſit? Quàm nunc fruſtra eſt decus ſcholæ Aquinas; qui, Eiuſdem eſt rationis (inquit) Angelis ſimul eſſe in duobus locis, & in quibuſcunque pluribus: Ecce nunc vel vbique Xauierium, vel fraterculi corpuſculum Angelicâ naturâ ſubtilius; denique vel falſum Aquinatem, vel Papiſtas vbiquitarios. Quàm nimium audaces ſunt hodie multi præſentiæ huius patrôni Ieſuitæ? Scilicet Bellarminus, contemptâ Thomæ, Ægidij, Carthuſiani, Capreoli modeſtiâ; Quia exiſtimamus (inquit) poſſe corpus Chriſti eſſe in pluribus locis

Thom. l. 1. in Mag. d. 32. q. 1. art. 1.

Bell. de Euchar. l. 3. c. 4. p. 237.

etiam localiter, & visibiliter, ideo dicimus corpus idem posse esse circumscriptiuè, & etiam definitiuè, in pluribus locis; Nam vt corpus sit circumscriptiuè in aliquo loco, tantùm requiritur, vt commensuretur illi loco, ita vt termini loci & locati sint simul, non autem requiritur vt non sit alibi tanquam in alio loco: Absurdam vero ἀντίφασιν! Circumscribi loco & esse alibi; vt termini præsentis locati & loci sint adæquati, & tamen locatum vnum numero sit, loca mille: vt hoc loco commensuretur quid, quod in alijs est ferè infinitis; vt locus alius

remotus minùs impediat circumſcriptionem, quam pars alterius proximi; Quid delirare eſt ſi hoc ſit ſapere? Quis non rideat horum ſapientem ſtultitiam, quod de Valentinianis Irenæus? *Irm.l.2.c.9.*

Sed lubens audio illud Chryſoſtomi; Ex philoſophiâ res divinas intelligere, eſt candens ferrum non forcipe, ſed digitis contrectare, quin & Auguſtini; Da Deum aliquid poſſe quod tu non poſſis intelligere; Aetium hæreticum in errorem illum Arrij putidiſſimum ſeduxiſſe fertur Ariſtoteles: Quin & omnes hæreſes a philoſophiâ ſubornari *Sozom.l.3.c.18.*

Tert. lib. de præscript.

Thom. in Mag. l. 1. q. 3. art. 1.

Binius in vit. Adr. 6.

docuit nos Tertullianus: Quid Athenis et Hierosolymis, quid Academiæ & Ecclesiæ? Tolle Argumenta vbi quæritur fides, vt candidè ex Ambrosio Thomas: sed quid hæc illi nobis? Bene est idque ex animo nostris gratulari libet, quod omnium sibilis excepta euanuerit illa Surij (memoratui non illepida) de Carolostadio & Melancthone philosophis am exterminantibus, fabella, quæ tamen Binio pridem complacuit; Ecce iam nimis profecto philosophos, homines Euangelicos: Atqui nos facilè quidem concedimus, multa fieri, quæ nos intellige-

re

re non poſſumus, iſta tamen non concedimus, quia fieri non poſſe intelligimus: In totam Entis naturam (vt verè Thomas) abſolutam habet poteſtatem Deus, ſed non vt in non ens redigat, & tamen interim eſſe faciat: Hoc ſanè (ingeniosè Sadeel) Deus potenter non poteſt: Obiectum potentiæ diuinæ eſt (fatente etiam vltrò Ieſuitarum ſchola) quicquid in ſe non implicat contradictionem. Iam vero idem numero corpus, eodem tempore diſcumbere, & non diſcumbere; viſibile eſſe & inuiſibile, diuiſibile & continuum, diſcontinuum & indiui-

Pet. Mart. dial. de Omnipra.

sibile : Esse hîc totum, esse totum alibi ; Maius esse hîc, minus illic ; Esse vnum & plura ; ταυτὸ καὶ ἕτερον, recedere non recedere, cœlo capi, non capi cœlo ; Esse quantum absque spatio, commensurari & adæquari loco, locum non occupare ; Accidentia esse & non inhærere ; Esse & tamen fieri, fieri & non fieri ; Aliter esse in locis, quàm in loco ; Esse ὅλως ὅλον, & tamen corpus : Esse verum corpus, & esse spiritualiter ad modum Dei, vapulet (me quidem censore) quisquis puerorum, contradictoria non agnouerit : Sed quid ego spinosioribus hisce immoror ? Sce-

næ totius illud est; Impium hoc par dogmatum veræ Christi humanitati vim palàm inferre; neq; vnquam posse salua fide, cum veritate Euangelica conciliari.



SECT.

Sect. XIX.

De Sacrificio Missæ.

Vnus Christi sacerdotale nop leuiter impetunt quotidianæ sacrificij Missalis oblatio, & numerus mediatorum : Quod ad primum : Esse quidem in sacrâ hâc cœnâ (quo sensu Patres olim locuti sunt) sacrificium, nemo nostrum est [illegible] ; illud [illegible] (vt Bellarminus non malè distinguit) siue ἐνχαριστικον. Est hîc (vt Chrysostomus) ἀναμνησις τῆς θυσίας, id est (interprete Augustino) memoria dominicæ passionis,

Vid. Valent. Vannŭ. de Miss. Cit. ab Luc. Osiandr. Confut. Thes. Costeri.

Hom. in Heb. 17

in

in Ecclesiâ celebrata; & ex hâc suaui redemptionis nostræ commemoratione, aliud emergit sacrificium, θυσία αἰνέσεως; & ex illo denique, pacificum: Tria ergo cùm hîc se offerant sacrificia; propitiatorium certè, nisi fortè (vt Glossa interpretatur) repræsentatiuè, nullum est, nullum essentiale, nullum (quod Tridentini contendunt) verum, ac proprium; imo nec esse potest: Quid enim? Idemne offert Sacerdos quod Christus obtulit an aliud? Si aliud, non ergo propitiatorium, solus enim Christus ἱλασμός; sin idem, cum non ἀνοίμακτον; cruentum enim erat

Trid. Sess. 22.

Christi

Christi sacrificium: Tum esse Christi naturale denuò destrueretur; Tum finiti valoris foret (animus horret cogitare) sanguis mediatoris; Imo Christus ipse non in mensa sacrificauit, sed in cruce; Etenim si perfectum in cœna suâ sacrificium obtulit, pleneque propitiatorium, quid opus illi erat mori post-modùm? Quorsum illi in cruce effusus cruor, qui transsubstantiato illo necdum emisso sanguine mundum priùs redemisset? Quod si incruentum, tum non propitiatorium: Nulla enim (inquit Apostolus) χώρις ἁιματεκχυσίας remissio. Aut quæ demùm

Heb. 9. 22.

oppo-

oppoſitio eſt inter Melchiſedechi ordinem, & Aaronis; Chriſtum & veteris legis Sacerdotes, ſi munus iſtud per longam mortalium ſucceſſorum ſeriem tranſeat æquè, ac deſcendat? Aut quorſum iterata ſunt toties legalia veterum ſacrificia, niſi quod parùm perfecta extiterint? qui vero poteſt, aut quorſum debet, quod perfectiſſimum eſt, iterari? Denique quid planius vel dici vel cogitari poteſt? ἅπαξ πεφανέρωται, μιᾷ θυσίᾳ, μίᾳ προσφορᾷ. Heb. 9. 28. Heb. 10. 12. Et tamen adhuc ſacrificuli Pontificij (ſacerrimi homines) Chriſtum crucifigunt, immolantque; dumque filium Dei

patri

patri suo piè offerunt, rogant supplices, religiosâ plane blasphemiâ, vt hostiam illam benedicere, & acceptam habere velit: Nobis non licet esse tam deuotis: Commemorabimus nos quidem sanctissimum Christi sacrificium (quod Cassander benè monuit) gratoq; animo recolemus, non iterabimus; accipiemus oblatum a se patri, oblatumque nobis a patre seruatorem, non patri offeremus; quod vnum, dum (vti par est) recusamus, anathemate Tridentino statim percellimur. Pax ergo hîc nulla.

* * *

Can. Miss. Hostiam Domine suscipe benignus oblatam; & statim Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem facere digneris, &c. Munera quæsumus Domine oblata sanctifica, &c. Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris & accepta habere, &c. Consult. de Sacrif.

SECT. XX.

De numero Mediatorum & inuocatione Sanctorum.

AD Sacerdotium Christi non magis spectat, ipsum se victimam ἀμωμητον in ara crucis pro nobis semel immolare, quàm precum nostrarum thymiama, (ὀτριὴν ἐνωδίαν) in arâ cœli, patri suo iugiter offerre: vt ergo infinita ferè sacrificia, sic & innumeri mediatores Christum planè exautorare nobis videri solent: Neque certè magis in hoc mundi senio creuit intercessorum numerus, quàm impietas inuocandi;

Enim-

Enimuero modeſtius ſcholæ prioris acumen, ita finxit ſibi mediationis diſtinctionem, vt alteram eius ſpeciem Chriſto propriam vendicarit, alteram Sanctis participandam cenſuerit ; ſuccedanei autem Doctores, ruptis non tam Logicarum, quàm Theologicarum legum repagulis, in omnia mediatoris officia temerè inuolârunt, & quicquid cuiquam ſequeſtri quouis iure competere potuit, totum illud ſanctis ſuis tribuerunt: Hinc alius beatiſſimæ Virgini, O ſeruatrix ſalua me : Alius Impetra veniam, applica gratiam, præpara gloriam : Alij

(si Cassandro credimus) celebres viri dixerunt, Deum regni sui, quod constat ex iustitia & misericordia, dimidium (hoc est misericordiæ) in B. Mariam transtulisse: Alij exhinc a foro iustitiæ Dei, posse ad Curiam B. Mariæ prouocari: Alij sic Franciscum cum Christo comparârunt, vt vter horum (horreo dicere) Iesus Typicus fuerit, planè dubium lectori videatur: Ecce ἐνθουσιάσμον Tursellini:

Qui Fránciscus erat iam tibi Christus erit.

Et statim,

Iam Franciscus erit qui modò Christus erat.

O! præcidendam linguam

Lib. Conform. Sedul. Tursell. cit. a Possevin. bibliothec. sel. p. 295.

Hier. aduerſ. Vigilant.

(quod Vigilantio Hieronymus) & per partes ac truſta dilacerandam: Idemque Dominico præſtitit (pari blaſphemia) pius Archiepiſcopus Antoninus: Nihil hîc (quantum video) deſit præter æternum illud Fraterculorum Euangelium: parùm vero abſuit (ſi credimus hiſtorijs) quin obtinuiſſet:

Henr. Steph. Apol. Hered. & Fox Martyr. Martial.

O quàm perfatuæ ſunt tibi, Roma, togæ?

Alij Litanias, Pſalterię, & quicquid ad Dei gloriam ſpiritus accommodauit, ad ſanctæ Virginis nomen, ore ſacrilego traduxerunt. Et vtinam profecto iſta priuata foret ſuper-

ſtioſuli alicuius, malèque-feriati homuncionis δεισιδαιμονία; Lubentèr quidem fouere vellet opinionem hanc charitas noſtra, credula illa certè, & quæ (Apoſtoli iuſſu) οὐ χαίρει τὸ [illegible] ni etiam in Eccleſijs qu[illegible]m publicè decantari moneat Caſſander, iſtud (bone Deus) quale carmen, 1.Cor.13.

O fœlix puerpera
Noſtra pians ſcelera,
Iure matris impera
Redemptori.

Ni hæc omnia a pijſſimis Eccleſiæ Romanæ cenſoribus, rigidis morum magiſtris, ipſorumque Pontificum ſuffragijs palàm comprobata eſſent, ni-

si eadem hodie (testor Bencij & Bonarscij Musas) & dicerent, & scriberent Iesuitæ: Sed relegentur tamen ista (si quis manelit) ad suos Bernardinos, Antoninos, Bartolomæos, Pisanos, Turselinos; Prodeant qui magis sobriè sapere visi sunt, Polidori, Cassandri, Ludouici; ne horum quidem sententia nobis vnquam arridebit, qui quouis modo sanctos inuocandos esse docuerint. Verè (quod Bellarminus) Protestantes dicunt, sanctos pro nobis orare, sed tantùm in genere: Verè Bucerus, ineſſe sanctis summam nostri charitatem, nostræque salutis volun-

Lib. de Beat. sanct. c. 15. Cit. Cass. in Consult. de Inuo. Sanct. Idem fatentur Luther. Oecol. Melanc. Brentius. qu. Mort. Appell. Protest. l. 2. c. 12. s. 1.

tatem:

tatem: quin eadem procul dubio & Angelis inuisa est. Hinc tamen vt nos quemlibet beatorum spirituum, ad auxilium nostri, ad intercessionis cœlicę munus euocemus? Absit; Etenim quâ demum fide nitentur hæ preculæ? nisi fortè (quod Hosius) credere & in sanctos debeamus? Quàm nobis certò constat, neminem posse sanctorum, vel fontem orationum corda lustrare, vel mille supplicum vota, locis a se totidem dissitorum, vnâ inaudire? Quin (vti nulli mihi videntur poni debere religioni termini) vbique (si placet) terrarum, vni alicui sanctorum

deuoti clientes ſe vnanimiter commendent, proſternantq; non celeritas naturæ (vt Hieronymus) ſed vera vbiquitas, vt fatetur Bellarminus, iſtic, ad preces haſce percipiendas, requireretur: Quid nunc obſtat, quo minùs qui ſanctorum animas in Diuos, Diuorum ſpiritus in Deos aliquando tranſmutent? Deinde verò, quis Prophetarum, quis Apoſtolorum iuſſit? quis fecit Sanctorum priſci æui? aut quid denique aliud (ſi qua Theodoreto fides) ſub θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων Coloſſenſibus ſuis interdixit Paulus? aut quæ Collyridianorum hæreſis fuit, ſi hæc pie-

Lib. 1. contr. Vigil.

Bell. l. 1. de Beat. ſanct. c. 20.

tas habenda ſit ? Tutiſſimum ergo nobis illud erit ſemper Epiphanij, ἐν τιμῇ ἔστω Μαρία, ὁ δὲ πατὴρ καὶ υἱὸς καὶ ἅγιον πνεῦμα προσκυνείσθω. Nihil hic periculi eſt ; quin tutò liceat adire qui nos ad ſe vocat, Deum ; eiuſque Chriſto benigniſſimo Seruatori, prouolui; Nullus Sanctorum, honorem hunc inuidit Deo ; nullus ſibi aut arrogauit, aut paſſus eſt vnquam exhiberi ; Nec quis omnium eſt cui permiſit Deus aut arripere hoc ſibi, aut alijs communicare, aut ab alijs ſibi fortè communicatum ſerenâ fronte, animo æquo ſuſcipere : In noſtram ergo ſententiam pedibus eant Pon-

Ep. hæreſ. 79.

tificij, licet hercle, & iuuat; nos cum illis ſentire abſque manifeſto Idolomanias diſcrimine non poſſumus.

Sect. XXI.

De cultu ſuperſtitioſo, ethnico, ridiculo Pontificiorum.

QVòd ſi quis facilioris ingenij conciliator, eiuſmodi contendat eſſe grauiſſima hęc differentiarum capita, vt quam quiſque velit opinionem, tacitè fouere poſſit, ita quidem (quod olim Alexandro & Arrio Conſtantinus) vt

Socr. l. 1. c. 4.

ani-

animorum diſſidentium pax interea conſeruetur; intelligat is demùm, religioſi cultus ... continuam nihilo inimicitiarum minus, & ſerere & propalare: In cultu noſtro, publiciſque pietatis exercitijs, locis-uè ſacris, nihil eſt quod oculum, animum-ue Pontificium offendat; præter nuditatem, ſimplicitatemque, verè Apoſtolicam; facile vero vitium, & cui vix vlla candoris laus eſt, vltro conniuere: Iam diu enim in lituras abierunt illæ (quotquot erant) precum publicarum clauſulæ, quæ Auorum noſtrorum ſeculo, religionis Pontificiæ vlcus vel le-

uiter

uitèr tetigiſſe viſæ ſunt : In templis contrà Pontificijs, vix quicquam vel dici vel peragi ſolet, cuius nos, illæſâ mente, aut participes, aut vero teſtes fieri poſſimus : Enecant nos ipſi quidem parietes ; Cultum vero ſiue ridiculum, ſiue dæmoniacum quis ferat? Honoramus nos (vti condecet) fœliciſſimam ſanctorum memoriam, inprimis verò præcipuam cœlicolarum, meritoque beatiſſimam, Virginem Deiparam ; & quicquid illa ſibi, dominoque ſuo, non planè dedecori fore autumârit, id illi lubentiſſimè totum largiemur : neque modo Deum in

ſanctis ſuis (quod monet edoctus ab Auguſtino Durandus) glorificabimus; ſed & ſanctos in Deo, ſeque ipſis; propter eximias virtutes, ac res præclariſſimè geſtas, ſummâ laude, (vti opus erit) efferemus; horum ſingularem conſtantiam, fidem, robur animi, ſanctimoniam mirabimur, prædicabimus, & (quantum poſſumus) imitabimur: ſcilicet, horum, quod de Claudiano ſuo, Sidonius,

Mens & gloria non queunt humari. *Sidon. in Epita. Claud. Mamert.*

Sed vt ſancta illorum oſſa (venia ſit Lutheri verbo) ex quietis iamdiu ſepulchris ef-

fodia-

fodiamus, vt ante hæc ſemeſa piorum monumenta ſupplices procumbamus, vt diuinam ab illis virtutem, ſiue ſanationum, ſiue ſanctificationis expectemus, vt æque ſuſpiciamus Franciſci cucullum, Annę pectinem, caligam Ioſephi, Thomæ calceum (quod Eraſmus queritur) ac ipſum Dei filium, vix vllo nobis piaculo luendum videri ſolet: Neque nobis, aut homines inter Deos, aut beſtias inter diuos referre placebit vnquam; Placuit certè Cardinali illi, cuius in hortis, videre eſt hoc, cani ſuæ (vah quàm nimiùm dilectæ) Epitaphium:

Quod potui posui tibi fida Catella sepulchrum.
Digna magis cœli munere, quàm tumuli:

Poem. Illustr. Poetar. Ital.

Nos (profanum vulgus scilicet) ocreas Martini, Georgij vaginam, cultrum Crispini calcearium, aut (quæ in quadam Liguriæ vrbe asseruari dicitur) caudam asini, cui insedit Christus, aut Rochi canem, aut Antonij suem colere nescimus: næ, ille Elephanti corio circumtectus est non suo, qui istoc fecerit: seriò vero, vt geniculationes hasce legitimas demus ac pias; quis mihi Macarius inter tot densas arborum syluas veram cru-

Moresin. Scot. Orig. Pap.

cem dabit? aut quæ Helena e tot ferreis montibus, clauos? Et ipſi aruſpices arrident ſibi dum hæc populo oſtentant; ſed & ſubolet nunc ipſi plebeculę, quod iſti machinati ſunt, neque hercle ſine deducto rictu: Mittamus ergo hîc ridendas ſacrificulorum artes, fraudemque inſignitam; appellemuſque hac quidem in cauſa, vnam Caſſandri ἐπωνυμίαν; qui poſt Baſilij, Ambroſij, Auguſtini non diſſimulatas hâc de re querimonias; Conſtat (inquit) poſterioribus temporibus, nimiùm reliquijs & memorijs Sanctorum indultum, & tributum fuiſſe, ſic vt a bo-

Caſſ. conſult. de Reliq Sanct.

nis quoque viris, pio zelo prę-ditis, ſumma quaſi religionis in huiuſmodi reliquijs conquirendis, auro & gemmis exornandis, & memorijs, ſeu templis ſumptuoſiſſimis ædificandis poſita putaretur: & ab improbis quoque hominibus, falſa fiducia in cultu inepto & ſuperfluo reliquiarum collocaretur: Quare in Concilio Cabilonenſi reprehenduntur qui Romam, aut Turonum ſub prætextu orationis peragrant, putantes frequentatione horum locorum ſe a peccatis purgari, & impunè peccare: Acceſſerunt & alia mala; quòd auaritiæ cauſâ ad

ſimpli-

simplicem populum illiciendum, falsæ reliquiæ supponebantur, & ficta prædicabantur miracula, ijsque miraculis populi superstitio alebatur, vt magis in admiratione miraculorum raperetur, quàm ad sanctorum imitationem prouocaretur; Nonnunquam autem astu, & illusione dæmonis, hominum superstitione abutentis, per insomnia & visa, nouæ reliquiæ reuelabantur, & eiusdem operatione, miracula edi videbantur. Hæc ille, verè Germanus-ne an Israelita? At nos edocti melius, liberè de nobis fidenterque prædicare audemus, quod

Christi-

Chriſtianorum omnium nomine, profeſſus eſt olim Hieronymus : Nos, non dico Martyrum reliquias, ſed ne Solem quidem,& Lunam,non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen quod nominatur, & in præſenti ſeculo, & in futuro, colimus, & adoramus, ne ſeruiamus creaturæ magis, quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſecula.

Hier. ad Riparium aduerſ. Vigilant.

Deinde vero, vt a reliquijs ad Imagines deſcendamus; Fieri nè poteſt vt nobis aliquando non diſpliceat inſana Romanæ Synagogæ ſuperſtitio? vt contra ſacras Dei tabu-

las, contra Apoſtolorum inſtituta, contra veteris Eccleſiæ morem, contra manifeſtiſſima Conciliorum decreta, contra patrum clariſſimas vbique refragationes (Deo & hominibus planè renitentibus) Chriſtianorum baſilicæ nihilò ſeciùs, ac Gentilium templa, ſimulachris vndique repleantur? vt (quod olim queſtus eſt Hieronymus) candor Eccleſiæ Ethnicorum ſordibus polluatur; vt (quod Euſebius amentiæ meritò inſimulat) Deo inuiſibili & incorporeo, imago viſibilis & corporea ſtatuatur; vt in Agnis Dei, granis, luminibus, roſis, gladijs, inſigni-

Hier. Magno Orat. Rom.

bus, campanulis, (ridiculo more incantatis) fiducia collocetur, vt magicis quibusdam exorcizationibus, ab illis Dei creaturis arceatur Diabolus, quas nullus vnquam occupârat? Inibimus profecto cum Satana ipso fœdus, vbi Diabolicis hisce ἐθελοθρησκείαις viam semel, aut veniam concesserimus: Profanum illud operis operati παράδοξον, ociosas peregrinarum precum submurmurationes, sacramentorum & numerum & virtutem, sacrilegam Eucharistiæ mutilationem; & mille alia cùm opinionum, tum ceremoniarum prodigia videns, prudensque

Lib. Sacr. Cerem.

prætereo : Satis nunc ſuperq; errorum eſt. Et vtinam profecto hæc quæ diximus, eiuſmodi non eſſent vt neceſſe nobis ſit in hiſce omnibus, vel Deo vel Romæ, æternùm diſconuenire. Dum igitur flecti nec poſſit veritas, nec velit erroris pertinacia, nos ſub Imperatore cœleſti merebimus vſque alacres, & hæreſibus Pontificijs ἐσχυδον πόλεμον, & indicemus meritò, & inferemus.

Sect. XXII.

De Mediorum reconciliationis impoßibilitate.

IAm vero cum nemo ſanus illud de nobis ſuſpicari vnquam poſſit, fore, eò vti inſaniæ diueniamus aliquando, vt relictis Dei ſignis ad Antichriſti illius Romani caſtra perfidè transfugiamus; Ecqua ſpes eſt, poſſe demum Pontificios ad ſanam mentem primæuæ antiquitatis reuocari? O ſi indulgeret illud Deus orbi Chriſtiano! ſi liceret nos tantæ fœlicitatis vel omine ſolo conſolari! Quàm iucundum foret

illud, dignumque Deo ſpectaculum, vt (quod de Nouatianis & Orthodoxis fertur) viri, mulieres, pueri, partis vtriuſque, procul omni ſimultate, lapides, cæmentumque ad Ἀνάκτορον verè Templum comportaremus: Compellabimus nos quidem illos, lubentes, idque (ſi opus erit) ſummiſſis genibus, Cypriani verbis; Quia nos Eccleſia (ſana ſcilicet) derelictà foras exire, & ad vos venire non poſſumus, vt vos magis ad Eccleſiam Matrem, & ad noſtram fraternitatem reuertamini, quibus poſſumus hortamentis petimus & precamur:

Sozom. l. 2. c. 30.

Cypr. l. 3. ep. 2.

Ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν Πείθεσθ'. ἄμφω δ' ἄμμιν ἀνεψιὼ ἐκ πατρὸς ἐστὸν Δαιμόνιοι, τί μάχης ἱμείρετε. At, at, citiùs Romam nouam crearit Deus, quàm reformàrit veterem: Imo necesse est se prorsus exuat Ecclesia illa, retexatque; quæque modo est esse desinat, priùs, quàm vt quæ olim fuit, esse nunc denuò incipiat:

Theocr. Διοσκουρ.

Simul enim res, fides, fama, virtus
Decusque deseruerunt: atque ipsa inusu
Facta est nimio nequior: nec videor mihi
Sarciri posse ædes hasce, quin totæ
Perpetuæ ruant, quin cum fundamento

Plaut. Mostell.

Perierint, nec quiſquam eſſe auxilio queat.

Quòd ſi vllum vel remedij ſpecimen etiamnum a nobis ſperari poſſit, illud certè vel a ſe, vel ab alijs neceſſario adhibebitur: Nunquid a ſe? quæ ſuos errores pertinaciter, non calamo & linguâ modò, ſed flammâ, & ferro defendit; quæ vel errare ſe poſſe nunquam elargietur; quæ a moderatiſſimo ſelectorum Cardinalium iudicio damnatas κακοδοξίας, emendare pridem recuſarit, quam denique nouiſſimi, peſſimique Paraſitorum Ieſuitæ, blandis ſuppalpationibus non ſecuram modò, ſed & ſo-

lito superbiorem præstiterint? Nunquid ab alijs? Quoties hoc frustra tentatum? Expugnari quidem potest Roma (quod sæpius factitatum est) militum manu; monitis vero, criminumque & errorum conuictionibus, censuris, literis expurgari non poterit: Succurrit mihi istîc, quod olim Sisinuius Lector Nectarium Episcopum monuisse dicitur; Exploratum habere se, disceptationes non-solùm non reconciliare schismata, sed hæreticos pręterea ad contentionem multò magis accendere: Denique, numquid a se & alijs? Nugæ! nisi aut alij possint, aut

Socr. l. 5. c. 10.

Poteruntnè vero pati pacem esse, pacis dissolutores?

velint

Synod. Arimin. ad Conſtantin. Theod. l. 2. c. 19.

velint ipſi; Certè enim, ſi quid bonæ ſpei adhuc reliquum ſit, illud totum in Concilij Oecumenici vindicijs decernendis, ſitum eſt; Talis autem Synodus non minùs quàm pax ipſa, impoſſibilis eſt: Quis etenim conuocabit? quis præſidebit? Qui intererunt, ferentque ſuffragia? Quæ definiendi regula erit, quæ ratio exequendi? Oſtentent nobis Tridentinæ ſeu ſororem, ſeu filiam; quis non rideat ſimul & indignetur? Actum ſcilicet nobiſcum erit (quod ingeniosè Lutherus de indictione Concilij a Paulo 3.) ac ab illis ſolet qui famelico cani illu-

dunt,

dunt, fruſtulo & cultello; Quin ſtet nobis cum Nazianzeno eiuſmodi πάντα σύλλογον φεύγειν ὀπισκόπων; ὅτι μηδεμίας (τοιαύτης nimirum) συνόδου τέλος χρηστόν. μηδὲ λύσιν κακῶν μᾶλλον ἐρχηκυίαν ἡ προσθήκην: Concilium a cilijs oculorum memini dictum Iſidoro; quod in vnum omnes dirigant mentis obtutum; concilium ergo agere non poſſunt, qui publicam vſquequaq; diſſidentiam profitentur: Fruſtra nos hoc tentabimus, niſi illorum quiſque apud ſe domi pacem meditari occœperit, animumque induxerit, abiecto omni præiudicio, ac pertinaci partium ſtudio, veritati (vbi illa ſemel af-

Iſid. in præf. Concil. Bin.

fulſerit)

fulſerit) ingenuè aſſentiri, animiſque demum ſuis conſulere potiùs, quàm fortunis: Æquumne enim fortè videbitur, (quæ nunc rerum condicio eſt) vt in eadem cauſâ ijdem teſtes, rei, actores, iudices admittantur? aut numquid fortaſſe ſperabimus, quæ, peſſima iam diu fide, ac apertâ Tyrannide priuilegia, hactenùs vſurparint Pontificij, illis, actâ nunc demum pœnitentiâ, homines ingenuos candide abrenuntiaturos? aut contra ſua ipſorum capita Anathematum ſuorum fulmina vibraturos? Speret hoc ilicet quiſquis fatuorum neſcit vetus illud,

Optat. Mil. l. 7. Don. 2. q. multis.

toties

toties a Lipſio decantatum, *Moribus antiquis Res ſtat Romana, virisque*:
Nos iſta (niſi ſolus ille miraculorum architectus, exertâ e cœlis dextrâ, potentiſſimè iſtud præter ſpem omnem effecerit) fieri non poſſe ſatis vtique nouimus. Illud modò vnum (quod pollicitus eſt Deus) fidelitèr expectamus, fore vt τὸν ἀνομον, iam olim Eccleſiæ ſuæ reuelatum, Dominus Ieſus oris ſui ſpiritu interficiat, & glorioſi aduentus ſui ἐπιφανείᾳ plenè detegat, ac deturbet. Ilicet non mediis ſolum, ſed & fine aduerſa eſt Cœlo Roma; Cœlum tranſibit immutatio-

Hier. in Mat. 24.

ne

ne ſui, non abolitione ; Abolitione, non immutatione ſui, Roma ; De nobis ergo atque illis illud olim cantabitur Theocriteum :

Theocr. eidyſſ. κγ.

Τω δ' ἄορ ἐκ κολεοῖϊν ἐρυσσαμένω φόνον ἄντις,
Τεῦχον ἐπ' ἀλλάλοισι. μάχης δ' ὐ γιγνετ' ἐρωή.

Laus Deo.
Victoria Veritati.
Hæreſi Bellum.
Pax Eccleſiæ.

AMEN.

GEORGII CASSANDRI

hominis Pontificij, longè quidem doctiſſimi, grauiſſimiq; *ab Imperatoribus duobus* Ferdinando & Maximiliano, *Ad Lites Eccleſiæ componendas* euocati Sententia.

In Conſultatione ſua pag. 56. & 57.

NOn negarim tamen multos initio, pio ſtudio ad acriorem reprehenſionem quorundam manifeſtorum abuſuum impulſos fuiſſe; & præcipuam cauſam huius calamitatis & diſtractionis Eccleſiæ illis aſſignandam, qui

inani quodam fastu Ecclesiasticæ potestatis inflati rectè & modestè admonentes superbè, & fastidiosè contempserunt, & repulerunt: Quare nullam Ecclesiæ firmam pacem sperandam puto, nisi ab ijs initium fiat, qui distractionis causam dederunt, hoc est, vt ij qui Ecclesiasticæ gubernationi præsunt de nimio illo rigore aliquid remittant, & Ecclesiæ paci aliquid concedant, ac multorum piorum votis ac monitis obsequentes, manifestos abusus ad regulam Diuinarum literarum & veteris Ecclesiæ a qua deflexerunt, corrigant.

LECTORI S.

QVod te monitum volui (Lector) Polemices no-ræ pars altera (quæ Societas nti-Ieſuitica inſcribitur) diu ud me latuit, litauitque No-i, ac Silentio; non modeſti-n quidem cauſata, non me-m; ſed conſultius fortè rata uod negotioſi iſtius cœpti genium eſt) priuatis noſtro-m manibus teri, quàm paſ-n ac promiſcuè per ora ho-num volitare. Non deſunt Optimis, Maximiſque, qui m & oculis vſurpârint, & culis etiam ſuis (quantum erat) benignè comprobâ-

rint: Quorum ſi quando iuſſ
euocata fuerit, euolabit ill
(quò lubet) in vulgus illico
leſuitaſque (ſupercilioſum ge
nus hominum, & nimio quàn
turbulentum) vltro irritabit
Excidit mihi interea, homi
credulo, exemplar vnum
quod quidem cuius in manu
diuenerit, nec ſcio, nec ſuſp
cor; quicunque is demùm fu
erit, moneo, ſi a lege ſibi Pl
giariâ cautum velit, vt Sigal
onem mecum ſedulò cola
ſicque latere pergat, vt fal-
lat vſque natus, mo-
rienſque.

FINIS.

Errata ſic corrigenda.

ſire. p. 5. l. 3. ἡσυχαζειν. p. 14. l. 9. veri-
p. 16. l. 4. liceret. p. 24. l. 10. Sauana-
40. l. 11. certæ. p. 45. l. 14. ni. p. 114.
. p. 130. l. 5. quí. p. 141. l. 16. Pſalte-
. l. 14. Bartol. Piſanos *ſine commate.*
ἀνῆκε. p. 190. l. 6.

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION

HRM
9-22-37

61289

Rev. 26 May '19. 3.